OBSERVATIONUM
BOTANICARUM

PARS I.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

OBSERVATIONUM BOTANICARUM

ICONIBUS AB AUCTORE DELINEATIS ILLUSTRATARUM.

PARS I.



VINDOBONÆ

EX OFFICINA KRAUSIANA.

MDCCLXIV.

GERARDO
L. B.
van SWIETEN,

AUGUSTISS. IMPERATORI ET, IMPERATRICI A CONSILIIS, ARCHIATRORUM COMITI, BIBLIOTHECÆ AUGUSTÆ PRÆFECTO, INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ VINDOBONENSIS PRÆSIDI PERPETUO; NEC NON ACADEMIÆ REGLÆ SCIENT. ET CHIRURG. PARISINÆ, INSTITUT. BONONIENS. ET LITERATOR. INCOGNITOR. MEMBRO;

MŒCENATI OPTIMO;

SUB CUJUS
IN MEDICA FACULTATE PRÆSIDIO
STUDII MEDICI EMENDATIONE,
HORTI BOTANICI EXSTRUCTIONE,
LITERARUM QUARUMVIS AUGMENTO
INCLARUIT
VINDOBONENSIS UNIVERSITAS

PRIMAM HARUM OBSERVATIONUM
PARTEM

DICAT
NICOL. JOSEPHUS JACQUIN.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

Quum adverſaria mea evolvens Botanica, adnotata in his reperiebam quam plurima, omiſſa in editis operibus meis; eaque inter aut prorſum nova aut dilucidata prolixius non pauca; exiſtimabam, pro illa mea, quam in omni cultore amplificandæ nobilitandæque ſcientiæ ſuæ ergo decet eſſe, voluntate ad hæc vulganda omnino me teneri. Ubi vero una ſubibat mentem, poſſe his pro nata occaſione quandam in annos ſin-

gulos

gulos fieri accessionem at impediturum pariter tantillum ab officio futuro meo mihi superstes otium, quo minus in hoc studiorum genere vastius aliquid aut operosius posthac animo versare ausim; decrevi, qualiacunque ista, Observationum titulo, per partes prælo mandare.

Nec servabo in his disponendis ullius Systematis ordinem. Nam quæcunque quidem sint illa, quibus hic (præcipue si assumatur ex usitatioribus) in operibus illis, quibus instituta enumeratione cuncta Vegetabilia cujusdam agri aut provinciæ aut amplioris mundi plagæ complecti auctor voluit, vel etiam proponere doctrinam aliquam generalem, se commendet momentis; & quamvis etiam in similium lectione librorum facilitatem non exiguam præbeat lectori intelligenti; at certe in opusculis hujusmodi, quibus uti simul ceu elencho aut vocabulario non possumus, si non damnandus, tamen inutilissimus mihi videtur. Est præterea multo hæc libertas scribenti commodior, qui, ubi nullas in scriptionis genere leges sibi ipse imponit, ad paucas tenetur, censuramque facilius sic effugit nasutorum hominum ac eorum quidem præ cæteris, qui de re-

publi-

publica literaria præclare demereri ſe putant, dum magiſtrali gravitate omnibusque adhibitis machinis multa & magna moliuntur in rebus argumenti triti & leviſſimi. Quibus ſcilicet adnumerandi fere veniunt illi, qui vel mala indole vel ingenii futilitate vel quacunque demum cauſa moti, ſtrepitu ingenti & nullo ſane fructu, in aliorum ſyſtematibus, hypotheſibus, cæterisque id genus ſoli arbitrio ſubjectis placitis deprimendis toti verſantur, eademque non raro ſcommatibus & maledictis, quæ contaminare viri honeſti beneque morati ſcripta nec debent, nec poſſunt, infamare contendunt.

Exornabitur porro pars quælibet tabulis æneis quinque & viginti, quam potui accuratiſſime a me delineatis. Exhibebunt hæ ad ſtatum naturalem ſtirpes rariores paucisque Botanicis conſpiciendas, quarum figura adhucdum vel extat nulla, vel certe haud ſufficiens illa.

Quantam autem lucem ac certitudinem aptus iconismus affundat ſcientiæ herbariæ, propria convicti experientia, norunt Botanici omnes. Utinam talem tradidiſſent nobis a multis retro ſæculis ma-

 jores

jores noſtri. Circa plantas, maxime olim celebratas, minus hodie cæcutiremus, nec tam multiplici in plurimis aliis obrueremur confuſione. Extant quidem, a quo vigere Typographia cœpit, figuræ plantarum non temnendæ, quas inter Cluſianæ paucæque aliæ omnem laudem promerentur. Sed partium fructificationis minus exacta, vaſtiſſimæ autem arboris & herbæ tenellæ in magnitudine par delineatio optimis etiam iconibus quiddam de meritis ſuis detrahit; malarum vero imo ineptarum falſarumque multitudo non mediocris omnes in univerſum inexperto ſuſpectas reddit. Unde factum, ut celebres viri jure damnarint in Botanice iconismum. At vero ubi Dillenianas, Cliffortianas, Lapponicas, Ehretianas, aliasque plures recentiorum figuras conſpicimus & admiramur, mutanda omnino ſententia eſt, ſtandumque pro parte adverſa.

Immortalis illuſtrem Linnæum manebit memoria, qui determinationibus ſuis ſic dictis ſpecificis tam vere quam ingenioſe docuit nos plantas diſtinguere ab invicem, ac certitudine antea incognita de iisdem judicare. Attamen ubi ſtirpem aliquam ſpecifice determinaturi in vaſtam conſimilemque

fami-

familiam incidimus, quoties non hæremus? donec inventa forte apud auctorem probatum figura firmat dubitantes. *Illud* vero quam maxime in novarum stirpium detectione locum habet. Nec minus etiam conducit iconismus, quando unica planta genus absolvit: generis enim characterem æque ac habitum nulla menti & memoriæ tam vivide imprimet descriptio, quam id facit concinna delineatio.

Atque hæc de *iconibus sufficiant*, eo a me consilio *prolata*, *ut rationem intelligant Botanici*, propter quam tantopere iconibus faveam, & quoad possim, & sumptus faciendi ferant, hisce opuscula mea adornem.

Linnæi plantarum species citavi ex altera novissima editione.

Terminavi hanc primam Observationum partem catalogo stirpium in Austria sponte nascentium, quæ omissæ sunt in edito ante annum opusculo meo. Nec adhucdum catalogus iste perfectum quiddam aut completum offerre potest: quantula enim est pars Austriæ illa, quam abunde lustravi? quot supersunt autem alpes, præcipitia, sylvæ, & valles,

quæ ne vidi quidem? Exigit certe horum plena cognitio annuos labores & ſumptus non mediocres. Spem quidem conceperam, poſſe me aliquando hæc ſuperare; ſed hanc nunc plane tollit futura brevi in Hungariam transmigratio mea. Quare aliis, quibus Auſtriæ Flora cordi eſt, Botanicis incœptam telam porro texendam trado. Vale. Dabam Vindobonæ Kalendis Septembris MDCCLXIII.

OBSER-

OBSERVATIONUM BOTANICARUM

PARS I.

CYTISUS CAJAN.

CYTISUS racemis axillaribus, erectis; foliolis ſublanceolatis, tomentoſis; intermedio longius petiolato. *Linn. ſp. pl. 4. p. 1041.*

Cytiſus folio molli incano, ſiliquis orobi contortis & acutis. *Burm. zeyl. p. 86. t. 37.*

Cytiſus fruticoſus, erectus, ramoſus, triphyllus; foliolis ſubcinereis oblongis; vexillo variegato; ſiliqua compreſſa, ad ſemina toroſa. *Brown. jam. 1. p. 296.*

Cytiſus fruteſcens. *Plum. ſp. 19. ic. 114. f. 2.*

Laburnum humilius, ſiliqua inter grana & grana juncta, ſemine eſculento. *Sloan. hiſt. jam. 2. p. 31.*

Phaſeolus erectus, incanus, ſiliquis toroſis, Kayan dictus. *Plukn. alm. 293. t. 213. f. 3.*

Hæc arbuſcula, quæ culta dumtaxat in inſulis Caribæis creſcit, in Angola & vicinis Africæ provinciis ſponte provenit; unde olim in illas translata fertur. Anglis hinc adhuc hodiedum *Angola Peas* Gallisque *Pois d'Angola* ſive Piſa Angolenſia ipſius ſemina vocantur. Apud Martinicenſes omnium frequentiſſima occurrit, ſoletque ad agrorum ſacchariferorum limites ſeri. In ſeptimum vel octavum annum perennare mihi dicta fuit, quando lenta perire ſenectute incipit. Altitudine quintum, ſextum, vel & decimnm quandoque pedem attingit, truncoque tunc inſiſtit quinque diametro pollices æquanti. Diſpeſcitur in plurimos ramos; & totum annum floribus fructibusque cum maturis tum immaturis fœcundiſſima abundat. Maximo hinc ſubſidio eſt ſervorum pauperumque fami, dum piſa numeroſa, alimentum ſaniſſimum & panis vicem ſubiturum, indeſinenter largitur. Fæminæ etiam divites eodemque delicatulæ in Martinica ſunt non paucæ, quæ Europæo pani præferunt iſta, coctisque hujus in locum ad quælibet fercula veſcuntur, aut ſolis, aut farinæ ex radice Iatrophæ Manihos factæ immiſtis. Sapore ab Europæis piſis aliquantum differunt, quo mihi certe ſatis placuerunt. Sunt autem ſubrotunda, leviter compreſſa, nitida, ſolida, coloris cinerei, hilo albo cum macula utrinque fuſca, & magnitudine piſi minimi Europæi. Continentur in legumine compreſſo, ad ſemina toroſo, & inter illa per lineam oblique ad dorſum deſcendentem introtruſamque ferme connato, villoſo, in acumen ſetaceum abeunte, maturitate contorto. *Flores ſunt flavi*, ac in racemis erectis & circiter pollicaribus plures ſubumbellatim locantur. Hi ſolitarii ex alis exeunt foliorum ternatorum & utrinque villoſorum, dorſo autem albicantium; quorum foliolum intermedium petiolo multo longiori inſidet. Rami juniores ſunt angulati & ſubvilloſi.

THEOBROMA CACAO.

THEOBROMA foliis integerrimis. *Linn. ſp. pl. 1. p. 1100.* apud quem vide ſynonymiam.

Proficuæ & elegantiſſimæ hujus arboris varietates vel forte ſpecies binæ in Martinica occurrunt, ſola fructuum forma externa diverſæ.

Altera,

Altera, quæ iſtic indigena audit, hos gerit ex ovato oblongos, apice obtuſe attenuatos, decem ſulcatos, & verrucoſos; quales apud Catesbæum exhibentur. Alterius, quæ ex Cayenna dicitur fuiſſe adlata, ſunt ovati, multo minus imo vix ſulcati, nullatenus verrucoſi, præcedentium craſſitie, at multo breviores. Utraque arbor forma concinna gaudet, evadit comoſa, & ad altitudinem vulgo duodecim vel ſedecim pedum pervenit. Truncus erectus & quinque vel ſexpedalis craſſitie eſt mediocri. Materies albo & levis cortice tenui ſubfuſco & æquali veſtitur. Folia ex lanceolato oblonga, utrinque attenuata, læte virentia, novem vel & ſedecim pollices longitudine, latitudine maxima tres æquantia quatuorve; alterna, petiolo inſident utrinque incraſſato & pollicari. Pedunculi tenues, circiter octo vel decem aggregati exeunt ex præteritorum præcipue foliorum cicatriculis in ipſo ſolo tenus trunco & ramis craſſioribus; quos inter plerumque unicus *fructifer* evadit, abortantibus reliquis. In his flores locantur parvi, rubelli, & inodori. Fructus ſunt glabri, & vel ex flavo vel rubro vel ex his pro ſolis irradiatione varie miſtis colorati. Diametro tres circiter pollices æquant. Longitudo Cayennenſium ſex pollicum eſt, quos ad duos ſuperant verrucoſi. Cortex habet craſſitiem quinquelinearem, carnoſus, & coloris carnei. Pulpa albicat, conſiſtentiæ eſt butyraceæ, a cortice in maturitate libera ſecedensque, eidemque per ſola quædam filamenta adhærens, quæ ipſam penetrando ad ſemina uſque porriguntur. Hinc maturitatem concuſſi fructus ſonitu quodam indicant. Saporis porro eſt pulpa dulcis nec ingrati, habetque ſubaciduli quid junctum, & ſolet a barbaris nec non Europæis non paucis cruda exſugi & comedi. In tot vero portiones facile disjungitur, & quaſi ſponte ſecedit, quot ſunt ſemina, quibus adhæret fortiter, & quæ involvit. Hæc numero continentur in quovis fructu circiter viginti quinque. Recentia carnei ſunt coloris. Collecta paulo ante maturitatem, & cum ſaccharo condita, palato ſummopere arrident, ſuntque in magna æſtimatione. Difficulter autem ſic conſervantur & maris motum in itinere ferunt; fermentant enim brevi, aceſcunt, & vel vaſa ſæpe diſplodunt. Semina fructu exempta intra paucos dies effœta fiunt; incluſa vero intactaque germinationi diu ido-

nea

nea perſiſtunt, neque hac virtute in celeriori in Europam tranſitu privantur. Foliis, floribus, fructibusque maturis totum annum gravatur; copioſior autem & vera fructuum collectio Junio & Decembri contingit. Sata ſemina intra octiduum germinant. Biennalis arbuſcula altitudine tres pedes excedit; tuncque ramos expandit, quos ex trunci ſummitate quinque admittere ſolent incolæ, abſciſſis (ſi adfuerint plures) reliquis. Ante tertium ætatis annum primos fructus promittit. Eſt autem culturæ difficillimæ, & transplantationem ægre patitur. Tempeſtate concuſſa vehementius languet, peritque. Radix primaria, & fibrillas ſi excipis, fere unica, nec tamen craſſiſſima, recta deorſum tendit: in decurſu autem ſuo ſi cui impingit obſtaculo, ut retroflecti cogatur, ipſa periclitatur arbor, ac languore ut plurimum conſumitur. Hinc ſeri illam oportet in ſolo pingui fertili & tres pedes profundo, locoque a ventis immuni. Quælibet arbor quotannis duas tresve ad ſummum libras ſeminum vulgo producit. Cayennenſia ſemina longe indigenis poſtponuntur ab incolis, at horum nunc parvus numerus datur. Anno enim hujus ſæculi viceſimo & ſeptimo omnes in Martinica viciniſque inſulis arbores Cacaoferæ indigenæ epidemia quadam inaudita ac inexplicabili marceſcebant una, interibantque, neque hac peſte planta alia afficiebatur ulla. Ab illo tempore coli vix potuere, inque illarum vicem ſucceſſu meliori Cayennenſes introductæ fuerunt. Adeo interea exolevit hujus arboris cultura in hiſce locis, ut conſumptioni domeſticæ tantummodo par reddatur. Iſtius neglectus cauſa non levis eſt Coffea, fructuum certitudine incolis amata. Hæc triginta ſex abhinc annis plantari prima in Martinica, & forte in America, cœpit, advecta ex horto Regio Pariſino tenella arbuſcula; quæ prolis tam numeroſæ mater extitit, ut anno quinquageſimo ſexto, quo iſtic morabar, ex ſola hac inſula transportata in Europam horum ſeminum fuerint centies & octogies centum millia librarum.

GRATIOLA MONNIERIA.

Tab. 1.

GRATIOLA foliis ovali-oblongis; pedunculis unifloris; caule repente. *Linn. ſp. pl. 2. p. 24.*

Monie-

Moniera minima repens, foliis subrotundis; floribus singularibus alaribus. *Brown. jam. 1. p. 296. t. 28. f. 1.*

Monieria ramosa repens, foliis linearibus oppositis. *Ehret. pict. t. 14. f. 2.*

Anagallis caerulea, portulacae aquaticae caule & foliis. *Sloan. hist. jam. 1. p. 203. t. 129. f. 1.*

In insula Domingensi non procul ab oppido Cap Français mense Decembri hanc plantulam vidi crescentem ad viarum margines, locis ab aqua pluviali factis quidem limosis & humidis, at non penitus inundatis. Plantulae autem ipsae etiamsi non procedant a radice principe sex septemve pollicibus longius, densa tamen ramificatione ita operiunt solum, ut prati adinstar virescat. Caules ramique teretes & repentes terrae immittunt ex axillis radiculas fibrosas. Folia sunt ex obovato oblonga, obtusa, integerrima, glabra, crassiuscula, brevissime petiolata, plana, opposita. Ex horum alternis alis pedunculi oriuntur solitarii & foliorum plus minus longitudine, qui florem gerunt singularem ac inodorum. Hunc Sloaneus dicit esse ex albo caeruleum; ego meros vidi niveos. Coloris mentionem nullam facit Browneus: quo igitur variare videntur. Ramusculum hujus plantae, icone a me ad vivum expressum, sculpendum curavi: quoniam non optima est illa, quam dedit Sloaneus; nec valeat, delineata forte ad specimen siccum, Browneana floris. Apud Ehretium figuram extare, ignorabam, ex synonymia Linnaeana id nunc demum edoctus. Ehretii hoc opus nec possideo, nec consulere mihi licet hic loci. Impressam bibliopolae sumptibus meam tabulam revocare nequeo. At neque suo forte carebit usu in ipso solo natali facta etiam plantulae delineatio. Est autem Sloanei haec Anagallis procul dubio una eademque cum mea; nec calycem quis objiciat mihi dictum a Sloaneo diphyllum, quem ipse auctor mox aperte subjicit esse polyphyllum, capsulam tegi afferens pluribus foliolis, quae antea perianthium constituerant floris. Tota porro plantula saporis est amariusculi. Flos characterem habet sequentem.

CAL. Perianthium pentaphyllum, persistens: foliolis acutis, erectis. Horum tria ovalia, plana, apice patula; quorum unum du-

plo latius opponitur binis reliquis. Alia duo lanceolato-linearia, concava, cum priorum foliolo latiori binisque aliis cruciatim ponuntur; quorum ſingulorum ad dorſum adſtat bractea ſimilis, at duplo fere brevior latiorque, tandem decidua.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus, calycem vix ſuperans. Limbus quinquefidus: laciniis oblongis, obtuſis, planis, tubum fere æquantibus, patentiſſimis; quarum duæ, quæ folioli calycini latioris latus claudunt, pauxillo ſunt anguſtiores.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, orta in tubo corollæ; quorum duo, inflexa utrinque ad latus laciniæ corollæ ſuperioris, tubum ſuperant. Reliquis duobus erectis, brevibus, ante lacinias corollæ anguſtiores poſitis. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, calyce duplo brevius. Stylus filiformis, corolla paulo brevior, inclinatus verſus filamenta breviora. Stigma capitatum obtuſum.

PER. Capſula ex oblongo ovata, bilocularis, bivalvis.

SEM. Numeroſa, oblonga, minima.

RIVINA DODECANDRA.

Tab. 2.

RIVINA racemis ſimplicibus; floribus octandris dodecandrisve. *Linn. ſp. pl. 2. p. 177?*

Rivinia ſarmentoſa, ſarmentis craſſioribus, foliis ovatis, floribus ſpicatis dodecandris. *Brown. jam. 2. p. 149. t. 23. f. 2.*

Rivinia ſcandens racemoſa, amplis ſolani foliis, baccis violaceis. *Plum. gen. 48.*

Rivina octandra. *Læſl. hiſp. 207?*

In declivibus montium fruticoſis & in ſepibus arboreis Caribæarum ferme omnium læte excreſcere ſolet hæc planta; ramoſiſſima ſæpe, nec inelegans, & arbuſculæ vigintipedalis induens erecta habitum. Plerumque tamen ſarmentoſa ramos ſuos primarios, eosque flexiles & longiſſimos, arcuatim inter arbuſta porrigit, in medias ſæpe usque vias, ſi juxta has habitat, protenſos. Ex hiſce tunc incolæ

læ quibusdam in locis circulos fabricant doliares; unde apud Martinicenses nomen *Lianne à baril* obtinuit, ac si plantam scandentem doliarem diceres. Folia habet ex lanceolato ovata, acuminata, integra, glaberrima, petiolata, alterna, numerosa, magnitudine variantia, interdum semipedalia. Racemi laxi ramusculos juniores terminant, rarius axillis insident. Non igitur affirmare ausim, Plumieri Rivinam apud Burmannum icone 241. exhibitam esse cum mea eandem: nec enim recordor, racemum compositum me unquam observasse. Calyx in flore albus est, qui in fructu ex purpureo saturate rubet. Flores ego dodecandros semper offendi, nec aliorum mentionem Browneus fecit. Ait tamen Læflingius, se stamina numerasse ab octo ad duodecim. Addit etiam hic, suæ esse plantæ baccam rugosiorem & angulosa semina. Quum vero in dodecandra mea lentem nitidissimam nullisque notatam angulis semina perfecte referunt, nec *bacca rugas habet; nonne pro distinctis numerandæ?* Sic mihi videtur, unde aliud triviale saltem nomen ad distinctionem adposui. Fructus atropurpurei & pisellum volumine æquantis succulenta pulpa ab aviculis expetitur. Semen nigricat, & ratione baccæ magnum est. Sequitur character genericus.

CAL. Perianthium tetraphyllum, coloratum, persistens; foliolis subovatis, obtusis, valde concavis, reflexis.

COR. nulla.

STAM. Filamenta duodecim, subulata, calyce paulo breviora, patentissima; quorum quatuor, posita ante hujus foliola, solitaria sunt; alia autem cum his adeoque & cum calyce alternantia geminantur. Antheræ hastatæ, magnæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, staminibus brevius.

STYLUS nullus. Stigma penicilliforme.

PER. unicum, lentiforme, nitidum.

ARISTOLOCHIA TRILOBATA.

Tab. 3.

ARISTOLOCHIA foliis trilobis; caule volubili; floribus maximis. *Linn. ſp. pl. 2. p. 1361.*

Ariſtolochia folio hederaceo trifido, maximo flore, radice repente. *Plum. ſp. 5.*

Ariſtolochia ſcandens, foliis ſublobatis obtuſis, floribus ampliſſimis. *Brown. jam. 3. p. 329.*

Sicca hujus plantæ ſpecimina, ad quæ iconem concinnavi, viro ampliſſimo Antonio de Haen in Academia Vindobonenſi Medicinæ practicæ primario Profeſſori accepta refero, qui hæc ex Surinamenſi Americæ regione accepit. Adſcripſit ille, qui miſit, eſſe plantam ſarmentoſam, debilem, ramoſam, volubilem, & ad triginta usque pedum longitudinem vicinis arbuſculis lupuli more internexam. Æthiopibus ſervis eodem modo hanc plantam in uſum vocari, quo barbaris Americanis eſt ſtirps quædam Amara dicta; eosque, qui inter illos periti medici fama fruuntur, caro hanc pretio ægris ſuis vendere. Ipſos etiam Europæo ſanguine ortus febrifugam credere, atque hanc & memoratam Indorum Amaram una infuſas bibere, quocunque demum morbo afficiantur. Hactenus ille. Planta porro ſicca inter digitos trita odorem fortem congeneribus Americanis congruum ſpirat. Radix lignoſa & ſuberoſa perennat. Caules ſunt teretes, ſtriati, glabri, tenaces, infimi lignoſi. Folia petiolata & venoſa in tres lobos profunde dividuntur; qui obtuſi, glabri, & integri ſunt, in diverſis ramis figura & proportione valde diverſi, uti ex icone patet. Hæc etiamſi non methodo Botanica nitide explanata, ſed eſſent ipſis cum caulibus aliisque partibus ſpontanea exſiccatione valde convoluta criſpataque, potui tamen, lente inter linteola madida humectando, evolvere, & in ſtatum reducere nativo ſimilem. Humida autem digito ſubtus retrorſum moto ſummam exhibent ſcabritiem, quæ in exſiccatis denuo evaneſcit omnis. Flos maximus & ſtructuræ ſingularis aliquid adhuc flavi atropurpureique coloris poſſidet. Pedunculi vero a ger-

mine

mine soluti perierunt in integrum, unde nihil certi de florum numero conjicere valui; estque mera arbitraria, nec forte naturæ conveniens, quam in icone delineavi, floris cum caule connexio. Capsula sexlocularis, nitida, fusca, ovalis, & sesquipollicem longa continet semina cordata & plana. Stipularum ad petiolos nullum vestigium inveni, quæ in Marcgravii Ambuyaembo conspiciuntur. Hujus etiam flos figura est diversus, ac diversa sunt folia. Est igitur Marcgravii planta longe alia, & distinctam propriamque Aristolochiæ speciem constituit.

ARISTOLOCHIA PELTATA.

Tab. 4.

ARISTOLOCHIA foliis reniformibus, peltatis; caule volubili.
Linn. sp. pl. 4. p. 1361.
Aristolochia asari folio umbilicato, flore Longissimo, radice repente.
Plum. ic. 32. f. 2.

Mense Decembri florentem vidi & passim crescentem hanc plantam in montibus fruticosis circa oppidum Cap Français in insula Domingensi; ubi ramis numerosis frutices obvestit, & floribus figura singulari præditis conspicuam se reddit. Tota odorem spirat nauseosum. Radix lignosa suberosaque perennat. Caules sunt teretes, volubiles, superne virentes & herbacei. Folia venosa & vix peltata saturate virent. Ex alis prodeunt pedunculi solitarii, uniflori, petiolorumque plus minus longitudine. Flos tripollicaris & hexander ex basi globoso-torulosa & subfusca in tubum cylindraceum coloris flavi cum adspersis punctis ferrugineis abit, qui deinde in limbum expanditur longissimum, interne fuscum, externe cinereum punctisque ferrugineis variegatum, apice autem dilatatum obtusum flavum pilisque ferrugineis & longis hirsutum. Fructus succedit ex oblongo subrotundus, subfuscus, vix pollicaris, seminibus cordiformibus planisque fœtus.

Aristolochiæ bilobatæ dedit Plumierus iconem optimam. Cum peltata mixtim hæc crescit in eodem loco; omnium vero, quas novi, est ramosissima, & totos ita frutices obvallare solet, ut hi nusquam appareant.

ANONA MURICATA.

Tab. 5.

ANONA foliis ovali-lanceolatis, glabris, nitidis, planis; pomis muricatis. *Linn. ſp. pl. 1. p. 756.*

Anona maxima, foliis latis ſplendentibus, fructu maximo viridi conoide: tuberculis ſeu pinnulis innocentibus aſpero. *Sloan. hiſt. jam. 2. p. 196. t. 225.*

Anona foliis oblongo-ovatis, nitidis; fructibus ſpinis mollibus tumentibus obſitis. *Brown. jam. 1. p. 255.*

Anona indica latifolia, fructu ſquamoſo aſpero. *Pluk. alm. 31. t. 134. f. 2.*

Anona indica, fructu conoide viridi ſquamis veluti aculeato. *Pluk. alm. 32. t. 135. f. 2.*

Anona. *Comm. hort. 1. p. 133. t. 69.*

Guanabanus fructu e viridi luteſcente, molliter aculeato. *Plum. gen. 43. ic. 143. f. 1.*

Araticu Ponhe. *Marcgr. bras. 93. Pis. bras. 69.*

Zuurſack. *Meriän. ſur. 14.*

Quanquam plurimi, iidemque celeberrimi peregrinatores ac Botanici, deſcripſerint hanc arborem, multique illuſtrarint delineatione, haud tamen fore Botanophilis injucundum, putavi, ſi cum icone adcurata ampliorem ipſius adumbrationem etiam ego autoptes in lucem publicam emiſero. Nam Merianæ figura, cæteris quidem melior, florem tamen nimis habet rugoſum. Icon Sloanei non optima eſt, quia raro tam parva folia ſunt; in fructu autem, qui ex minoribus eſt, reticulares lineæ deſiderantur. Nec fructum Plumierus feliciter expreſſit. Inveni hanc Anonam in plerisque inſulis Caribæis, circa pagos quidem vere ſylveſtrem, nusquam vero in mediis montibus locisve incultis; quare ſuſpicor, fuiſſe olim in haſce regiones aliunde allatam. Tota quanta odorem ſpirat gravem & nauſeoſum, quo ſoli fructus maturi minus inficiuntur. Videtur autem ille odor generi magis minusve eſſe proprius, qui in hac quam in reliquis ſpeciebus multo

to eſt fœtidior. Formam & magnitudinem pyri mediocris acquirit, quando mediis in pratis aut in ſylvaticis raris libere excreſcit; at ſi a vicinis arbuſtis anguſtatur, habitum fruticis induit. Hinc etiam ſepes ex illis vidi inſtructas, quæ ventorum validiores impetus ſuſtinere valuerunt. Materies albida, nec admodum ſolida, cortice veſtitur ex cinereo fuſco. Ramuſculorum apices ſubulati ſeu rudimenta foliorum ſunt coloris aurantii. Folia ſunt ex ovali oblonga, acuta, integerrima, nitida, ſplendentia, plana, ſubcoriacea, facie ſaturate virentia, dorſo pallidiora, alterna, breviter petiolata, tres quatuorve pollices longa. Pedunculi uniflori, ſolitarii, craſſi, tandem lignoſi, in ramis plerumque ſenioribus, interdum etiam ex ipſo trunco, ſparſim oriuntur: neque enim ferendo ponderoſo fructui rami juniores forent. Flos magnus & pallide ſulphureus gaudet charactere ſequenti.

CAL. Perianthium tripartitum, minimum, perſiſtens: foliolis cordatis, concavis, acuminatis.

COR. Petala ſex, cordata, concava, coriacea, craſſiſſima, maxima, patula, ſeſſilia; quorum tria alterna interiora, minora, obtuſa; exteriorum apicibus acutis & patentioribus.

STAM. Filamenta vix ulla. Antheræ numeroſiſſimæ, erectæ, receptaculo germinis denſe inſidentes.

PIST. Germen ſubrotundum, receptaculo ſubrotundo elevatum. Stylus nullus. Stigmata numeroſiſſima, obtuſa, totum germen obſidentia.

PER. Bacca maxima, ſubrotundo-ovata, ſæpius incurva, cortice glabro obſolete reticulato aculeiſque innocuis & virentibus armato veſtita.

SEM. Plurima, oblonga, nitida, in orbem poſita, nidulantia.

Fructus figuram ſemper plus minus cordiformem habet, volumine varians, longus a quinque ad novem pollices, diametro transverſo tres vel ſex æquans. Cortex maturi ex flavo vireſcit, craſſus quidem, at fragilis. Inſcribitur lineis cancellatis, quarum centrum elevatur in ſpinulam innocuam mollemque. Caro eſt ſucculenta, albida, odorata, conſiſtentiæ butyraceæ, edulis, ſapore ſingulari grato & dulci cum levi acore. Videtur autem compoſita ex pyramidibus

trans-

transverſis numeroſiſſimis, quarum apices ex circumferentia in centrum fructus longitudinale concurrunt; ſed quæ ob carnis mollitiem in maturo ferme diſparent. In ſingulis his, etiam transverſim, locatur unicum ſemen. Receptaculum ſive appendix pedunculi ad notabilem longitudinem ſubſtantiam fructus penetrat; quod ſi levi negotio e fructu extrahi poteſt, hujus maturitas cognoſcitur. Raro tamen hæc exſpectatur; ſed carpuntur fructus immaturi, aſſervanturque per paucos dies, donec ultro molleſcant: pondere enim, mollitie, corticisque fragilitate fit, ut, quum maturi ſponte a pedunculis ſolvantur ipſa in arbore, in fragmenta & pultem rupti in terram dilabantur. In menſis apponuntur, habenturque in quodam pretio. Quoniam vero decorticari cultro nequeunt, confringuntur manu, & vel cochleari vel ore ipſo extrahitur ex fruſtis comedenda caro. Abjicitur cortex, qui ingrati quiddam habet atque terebinthinacei. Ægris, qui refrigerio egent, valdopere commendantur ab incolis. Non arrident palato noviter advenientis Europæi. Maturos ilico edi oportet, cum diu tunc conſervari non poſſunt. Ex immaturis aliqui vinum parant limpidum & excolor, quod contra cancros in infantum ore laudatur. Alii hos ipſos cum aqua & ſaccharo coquunt in cibum non temnendum. Ex ſemine enata triennis dare fructum dicitur. Duodecim arbuſculas, jam fructigeras, brachii craſſitie, decempedales, cumque ipſa terra erutas, anno quinquageſimo ſexto ex Martinica Vindobonam transmiſi, quæ omnes longum hoc atque difficile iter vivæ ſuperarunt. Harum pleræque adhuc læte vigent in hortis Cæſareis, dederunt raro flores, ſed nunquam fructus. Ab Anglis vocatur *Sour-Sop-Tree* ſive Arbor offam acidam ferens; a Gallis *Coroſſollier* ab inſula Curaçao ipſis Coroſſol dicta, ex qua primum ad eos translata creditur; a Batavis *Zuurſackboom* ſive Arbor ſaccos acidos producens; ab Hiſpanis vocabulo indico *Guanaban.* Tsjaka-maram horti Malabarici p. 3. pag. 17. t. 26. 27. & 28. videtur eſſe ab hac diverſa aliaque non bene nota Anonæ ſpecies.

ANO-

ANONA SQUAMOSA.

Tab. I.

ANONA foliis oblongis; fructibus subquamatis. *Linn. sp. pl. 2. p. 757.*
Anona foliis oblongo-ovatis undulatis venosis, floribus tripetalis; fructibus mammillatis. *Brown. jam. 2. p. 256.*
Anona foliis odoratis minoribus, fructu conoide squamoso parvo dulci. *Sloan. hist. jam. 2. p. 168. t. 227.*
Anona indica, fructu ex viridi & luteo, cortice squamato aspero, nucleis nigricantibus parvis. *Pluk. alm. 31. t. 134. f. 3.*
Guanabanus fructu subcæruleo. *Plum. gen. 43?*
Atamarum. *Rheed. mal. 3. p. 21. t. 29.*
Papuwa. *Rumpf. amb 3. p. 138. t. 46.*

Hæc etiam arbor in plerisque Caribærum hortis occurrit frequens, nunc quidem circa loca culta Sylvestris, forte olim istuc aliunde transportata. Altitudine cedit muricatæ, qua raro tredecim pedes superat. Materiem albidam ambit cortex subfuscus. Coma concinna est, nec densa admodum. Folia sunt oblonga, acuta, integerrima, glabra, per venulas numerosas subundulata, sordide & ex flavo virentia, odorata, quatuor vel quinque pollices longa, subdisticha, alterna, breviter petiolata. Pedunculi uniflori & solitarii indeterminate ex ramusculis præcipue senioribus oriuntur, imo etiam ex ipso trunco, ubi hic in ramos dividitur. Flores coriacei, ex viridi flavescentes, subgraveolentes, & hexapetali, nec tripetali, ut credidit Browneus, charactere & volumine cum riticulatæ floribus perfectissime congruunt. His succedunt fructus, qui in maxima apud incolas nec non Europæos plurimos habentur æstimatione. Figura sunt ex ovato subrotunda, magnitudine autem varia, vulgari pugnum æquantes virilem. Cortex e glauco virens & rore tectus, ut subcærulescens dici possit, valde fragilis est, & in papillas magnas, crassas, obtusas, inæquales, & veluti imbricatas, undique protuberat. Hæ in maturis facillime ab invicem separantur, atque non raro cum ipsa pyramidum carnearum parte, quarum basin excipiunt, extrahuntur; come-

di vero nequeunt propter iugratissimum terebinthinæ saporem. Caro albescit, mollissima est, & odore suo saporeque singulari vinoso aromatico & suavissimo se quam maxime commendat. Carpuntur autem fructus & comeduntur eodem modo ac tempore, quo muricati. Semina nigra sunt, & circiter quadraginta in quolibet fructu numerantur. Transplantata arbor folia dimittere solet, & sæpe tunc fructus ante porrigere maturos, quam nova folia prodeunt. Misi etiam plures ex Martinica arbusculas jam fructiferas, quæ omnes huc usque in hortis Cæsareis bene habent, floruere aliquoties, at fructum nunquam sunt largitæ. Folia hujus arboris minutim contusa, & addito sale in cataplasmatis formam redacta, tumoribusque malignis imposita, insignes eos maturare, asserunt horti Malabarici auctores. In hoc autem opere plantæ delineatio mediocris est. Fructus quidem exactissime apud Sloaneum exprimitur, minus recte cætera. Rumpfius spinosum exhibet ramum, cujusmodi ego nunquam observavi; huic tamen Annonæ prorsum convenit ipsius descriptio. Non videtur mihi Guanabanus Ehretii apud Trewium tab. XLIX. esse cum nostro Guanabano idem; nimis enim fructus volumine & colore, folia figura differunt. Vocatur ab Anglis *Sweet-Sop-Tree* sive Arbor offam dulcem ferens; a Gallis *Pommier de Canelle* seu Malus cinnamomea; a Batavis *Steenappelboom*, id est, Malus rupestris.

ANONA RETICULATA.

Tab. 6. Fig. 2.

ANONA foliis lanceolatis; fructibus ovatis, reticulato-areolatis, *Linn. sp. pl. 3. p. 757.*

Anona foliis oblongis undulatis, venosis, fructibus areolatis. *Brown. jam. 3. p. 256.*

Anona maxima foliis oblongis angustis, fructu maximo luteo conoide: cortice glabro in areolas angulares distincto. *Sloan. hist. jam. 2. p. 167. t. 226.*

Anona-maram. *Rheed. mal. 3. p. 23. t. 30. 31.*

Guanabanus fructu purpureo. *Plum. ic. 43. f. 2.*

In

In ſynonymia omiſi Catesbæi car. 2. p. 86. t. 86. ſtirpem, citatam a Linnæo: gibbi enim inter areolares lineas in fructu delineati, deſcriptique in hiſtoria, tum etiam flos hexapetalus a ſecutura mucoſa diverſus, aliam diſtinctamque a mihi cognitis Linnæanisque congeneribus ſpeciem videntur ſtatuere. Sloanei & Rheedi Figuræ ſatis bonæ ſunt, at utrobique areolata fructus delineatio male exprimitur. Hunc itaque icone illuſtravi. Arbor eſt comoſa, multo præcedentibus vaſtior proceriorque, cæterum ſquamoſæ ſimilis. Odor magis nauſeoſus eſt. Cortex paulo inæqualior. Folia colore & figura conveniunt; differunt in eo, quod ſint acutiora & multo longiora, nec tamen latiora. Pedunculi floresque ſunt iidem. His ſequens eſt character.

CAL. Perianthium tripartitum, minimum; laciniis cordatis concavis, acuminatis.

COR. Petala ſex, coriacea, ſeſſilia; quorum tria alterna exteriora, oblonga, obtuſa, craſſiſſima, maxima, dorſo convexa, intus angulata, baſi concava, patentiuſcula; tria interiora ovata, ipſiusque perianthii laciniis multo minora.

STAM. Filamenta vix ulla. Antheræ numeroſiſſimæ, erectæ, germinis receptaculo inſidentes.

PIST. Germen ſubrotundum, receptaculo ſubrotundo elevatum. Stylus nullus. Stigmata numeroſiſſima, obtuſa, germen tegentia.

PER. Bacca maxima, cordato-ſubrotunda, cortice glabro in areolas angulares per lineas diſtincto.

SEM. plurima, oblonga, compreſſa, glabra, nidulantia.

Fructus magnitudine pugnum fere ſemper ſuperat, & bovini cordis figuram aliquatenus refert. Glaber eſt, nec in ſquamas ullas vel gibbos elevatur, ſed lineis reticulatis in areolas inæqualiter plerumque pentagonas inſcribitur. Maturus ſordide flaveſcit, interdum eſt ſubrubellus; diu vel negligenter tractatus ſuſceſcit, brevique corrumpitur. Caro albida, mollis, dulcis, inſipida fere, & vix odorata, a ſolis incolis, nec his omnibus, comedi ſolet. Cætera congruunt cum præcedentibus. Fructus immaturi in fruſtula diſciſſi, atque in futurum uſum exſiccati, optimo cum eventu aſſumuntur in pertinacibus Diar-

rhæis. Hæc ſpecies ſponte in Caribæis creſcit. Gallis dicitur *Cachiman Cœur de bœuf*, id eſt, Cachiman (quæ vox Caribæa eſt) Cor bovis. Angli *Cuſtard Apple-Tree* ſeu Malum placentariam appellant.

ANONA MUCOSA.

ANONA foliis oblongis; fructibus areolatis; corollis extimis monopetalis.

Manoa. *Rumpf. amb. 3. p. 136. t. 45.*

Anonam hanc rarius ſponte creſcentem in Martinicæ ſylvaticis reperi, cultam rariſſime. Toto habitu ſimilis adeo eſt reticulatæ, ut ſola diſcrimina adferre ſuffecerit. Floris corolla exterior baſi in unum corpus ſubrotundum nec ullatenus diviſum excreſcit: laciniæ autem oblongæ & præcedenti ſimiles ſunt omnium patentiſſimæ; adeo ut non inepte pileum hodiernum flos repræſentet. Qua certe nota ab omnibus cognitis congeneribus deficit. Fructus areolæ gibbæ ſunt, nec tamen papilloſæ vel aculeatæ. Carnis magis mucoſæ ſapor nihil grati poſſidet. A Gallis appellantur *Cachiman morveux* ſive Cachiman mucoſus.

PIPER PELLUCIDUM.

PIPER foliis cordatis, petiolatis; caule herbaceo. *Linn. ſp. pl. 10. p. 42.*

Saururus minor procumbens botryitis, folio craſſo cordato. *Plum. amer. 54. t. 72.*

De hoc Pipere hic obſervabo, ſolere a Martinicenſibus ipſius folia colligi, edique cruda cum aceto & oleo lactucæ immiſta, vel etiam ſola. Odore & ſapore forti raro placent Europæis. Gallis *Creſſon* ſive Naſturtium audit. Creſcit copioſe in Torrentum fluviorumque ripis glareoſis, humiditatis amans. In pleriſque Europæ caldariis frequens occurrit, propagatur facillime, nec minus læte quam in patria vegetat; imo ſemel inductum, ultro prodire poſtea ſolet. Hinc deſcriptioni non immorabor.

PIPER

PIPER ROTUNDIFOLIUM.

PIPER foliis orbiculatis, ſolitariis, carnoſis. *Linn. ſp. pl. 13. p. 42.*
Piper longum minimum herbaceum ſcandens rotundifolium. *Sloan. hiſt. jam. 1. p. 137.*
Saururus repens, folio orbiculari, nummulariæ facie. *Plum. amer. 52. t. 69.*

Cum aliis plurimis congeneribus plantula hæc elegans in Martinicæ ſylvis denſis humidisque integros arborum vaſtarum truncos inveſtit. Folia parva, craſſa, ſucculenta, ad tactum pinguia, læteque virentia, odore pollent proprio fragranti grato & animum excitante; quo certe inter aromatica & cephalica merentur numerari. Siccata conſervataque per annos hanc ſuaveolentiam, modo inter digitos terantur, non tamen eadem vi, retinent. Vidi cum his factas aquas ſtillatitias odore plantæ ſe commendantes. Interea nedum in uſum venerunt.

SIDA ABUTILOIDES.

Tab. 7.

SIDA foliis cordatis, indiviſis, acuminatis, crenatis; pedunculis longitudine petiolorum; capſulis decem, triſpermis.

Stirps hæc eſt annua & elegans. Tota quanta tomento lanato e viridi albicanti denſe obducitur, & holoſericeam mollitiem habet. Hoc autem in calycibus & foliorum facie multo eſt ſubtilius. Caulis firmus, rectus, teres, & ramoſus ad quatuor altitudinem pedum attollitur. Folia ſunt cordata, acute & æqualiter crenata, in acumen longum attenuata. Petioli teretes patuli & foliis breviores ſuffulciuntur utrinque ſtipula ſubulata erectaque. Pedunculi uniflori, axillares, ſolitarii, patentes, una cum petiolis æqua longitudine increſcunt. Calyx acutus, profunde pentagonus, corollam flavam patentiſſimamque leviter ſuperat, in gemma floris pyramidatus. Capſula decem acuminatæque ſemina rugoſa ut plurimum tria continent ſingulæ. Ex Ame-

rica (memoria excidit collectionis locus) hujus plantæ ſemina mecum attuli, quæ quotannis in Vindobonenſibus caldariis floriferam illam fructigeramque producunt.

COCCOLOBA BARBADENSIS.

Tab. 8.

COCCOLOBA foliis oblongo-ovatis, obtuſe acuminatis, nitidis, undulatis. *Jacq. enum. amer. p. 37.*

Quum, ut arbitror, nedum Botanice poſſideat hanc ſtirpem icone expreſſam, neque etiam ſubſequentem, ad illa ſpecimina, quæ habet in collectione ſua clariſſimus Mygindus, binas has elaboravi. Racemus vero ſive floriger ſive fructiger deſideratur omnis; habitus tamen adſcriptusque a quocunque autopta Houſtoni titulus certitudinem generis videntur abunde innuere. Video celeberrimum Linnæum hanc ſpeciem cum Coccolabo ſua excoriata eandem feciſſe in novis Speciebus. Utrum recte, ex icone hac mea concludere poterit.

COCCOLOBA EMARGINATA.

Tab. 9.

COCCOLOBA foliis ſubrotundis, inciſo-emarginatis. *Jacq. enum. amer. p. 37.*

PAULLINIA MEXICANA.

PAULLINIA foliis biternatis; petiolis marginatis; foliolis ovatis, integris. *Linn. ſp. pl. 4. p. 525.*

Seriana ſcandens enneaphylla & racemoſa. *Plum. gen. 34. ic. 113. f. 1.*

Quauhmecatl. *Hern. mex. 289.*

Paulliniam hanc ſcandentem & aculeatiſſimam offendi Carthagenæ indicæ in fruticetis habitantem. Monere hic tantum volui, characterem floris eſſe perfecte talem, qualem in Paullinia triternata in ſtir-

pium

pium Americanarum hiſtoria deſcripſi, excepto nectario primo, quod in triternata ex foliolis conſtat quatuor, in mexicana autem ex ſolis duobus, at duplo latioribus.

PAULLINIA TOMENTOSA.

Tab. 10.

PAULLINIA foliis pinnatis, tomentoſis; petiolis infra foliola nudis. *Jacq. enum. amer. pag. 37.*

In ſpeciminibus herbarii Mygindiani florum ſtructuram extricare non potui; hinc racemos floribus clauſis omnibus gravidos repræſentavi. Adjunxi racemum truncatum, in quo fructus maturitati proximi conſpiciuntur. Calyces etiam ſunt tomentoſi, & ex glauco fuſci, perſiſtuntque in fructibus. Reliquam deſcriptionem jam dedi loco citato.

EHRETIA DUBIA.

EHRETIA pedunculis unifloris, aggregatis.

Hanc arborem Februario menſe unicam offendi in Jamaica prope oppido Kingſton, loco pratenſi, viginti quinque pedes altam, trunco inſiſtentem diametri vix ſemipedalis, frondeque conſpicuam non valde denſa. Florebat illa, & foliis maximam partem deſtituebatur. Ex germine autem nihil certi de futuro fructu conjicere poteram, nec hunc exſpectare, ad diſceſſum ex inſula jam accinctus. Videbatur tamen ad Ehretias proxime accedere, ad quas reduxi, donec cognita pericarpii anatome aliud quid doceat. Folia, quæ pauca aderant, eaque præprimis in ramuſculis junioribus quidem at non florigeris, varia conſpiciebantur magnitudine a tripollicari ad ſemipedalem; cæterum ex ovali oblonga, acuta, integerrima, glabra petiolata, & alterna. Flores parvi ſordideque albentes plures ſimul prope extremitates ramuſculorum in pedunculis propriis brevibusque aggregati locabantur. Erat his character, qui ſequitur.

CAL.

CAL. Perianthium monophyllum, bivalve: valvula inferiore campanulata: ſuperiore ſubrotunda, concava, ad corollæ eruptionem transverſim ab inferiore abſcedente, patentiſſima, duplo minore.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus, interne hirſutus, longitudine calycis. Limbus quinquefidus, longitudine tubi: laciniis ovatis, obtuſis, planis, patentiſſimis.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, brevia, ſuperiori parti tubi corollæ impoſita. Antheræ ovales, didymæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum. Stylus ſubulatus, erectus, ſemibifidus, calyce duplo longior: laciniis bifidis, inflexis. Stigmata acuta.

PER. . . .

SEM. . . .

HÆMATOXYLUM CAMPECHIANUM.

HÆMATOXYLUM. *Linn. ſp. pl. 1. p. 549.*

Hæmatoxylum ſpinoſum, foliolis pinnatis, racemis terminalibus. *Brown. jam. 1. p. 221.*

Lignum campechianum; ſpecies quædam. *Sloan. hiſt. jam. 2. p. 183. t. 10. f. 1. 2. 3. 4. Catesb. car. 2. p. 66. t. 66.*

Characterem genericum hujus arboris, a me in America examinatum, exactiſſimum dedit Clariſſimus Linnæus; quare non repetam. Olim in Caribæis vicinisque inſulis non inveniebatur. Qui in Domingenſi ex accepto ſemine coluit illam primus, vir nobiliſſimus De La Chapelle in parte inſulæ ſeptentrionali procurator regius aſſeruit mihi, primas in horto ſuo ſatas initio ſemper languiſſe, & creviſſe difficulter; ex harum vero ortas ſeminibus lætiſſime vegetaſſe. Nunc certe ad latera utrinque viæ regiæ, qua ab oppido Cap Français itur ad Jaqueſi, ſepes conſpiciuntur denſæ elegantiſſimæ & ad plura milliaria extenſæ, ex his arbuſculis citrisque alternantibus vel etiam mixtis detruncatisque concinne compoſitæ. In Jamaicæ quoque Kingſtonienſibus pratis copia maxima & ſponte nunc provenientem vidi; quamvis etiam ibidem feratur in principio male habuiſſe. Patet ergo exotico ſolo difficulter aſſueſcere, ſemel aſſuetam producere prolem indigenis ſtirpibus

bus facultate vegetandi neutiquam cedentem. Millena semina, vix annua, in Europæ caldariis incassum sevi: Germinavit nullum. Est autem figura neglecta, parum comosa, tota spinis brevibus armata, alta vulgo duodecim circiter pedes, trunco octopollicaris ad summum diametri. Folia habet ovalia, parva, & bijuga. Racemi subspicati densi & oblongi ramusculorum ferme omnium extremitates terminant. Flores flavi sunt, & dorem spirant pergratum. Capsulæ sunt membranaceæ, & sordide albescunt. Truncus & rami primarii exsudant gummi, ovi sæpe gallinacei volumine adhærens cortici. Hoc primum molle est, brevi solidescit, & tandem evadit fragile, ut teri digitis in crassum pulverem possit. Pellucidissimum est; facit tamen saturatissima ejus rubedo, ut nigrum opacumque appareat. Deprehendi insipidum, nec quidquam detexi adstringentis, illud licet inesse asserat Clarissimus Browneus. Solutum in aqua levissimam linguæ dulcedinem imprimit, & aquam ilico rubedine tingit paulatim intensiore. Omnium solvitur lentissime, at solvitur totum; & plures hebdomadas exigit, ut sponte denuo spissescat. De materie, ejusdemque in arte tinctoria usu, cum sint notissima, nihil hic dicam. Valde dubito, utrum Catesbæi planta cum mea Sloaneanaque specie conveniat? Ramus sine spinis; racemi axillares, nimis laxi longique; & foliorum volumen nimium magisque cordata figura in nostram stirpem non cadunt. Tabulam vero Blackwellianam novam, in qua flores rubri, hexapetali omnes, & pluribus quam decem staminibus gaudentes exhibentur, ramus floridus pingitur a folioso sejunctus, ubi tamen eodem tempore & folia & flores gerat, sitque arbor semper virens, tum etiam spinæ absunt, non moror, quum suspicari nequeam, ad quamnam stirpem dici facta potissimum debeat.

VIOLA ALPINA.

Tab. 11.

VIOLA acaulis; foliis subcordato-ovatis, flore minoribus. *Jacq. vind. pag. 291.*

Viola montana secunda. *Clus. hist. 309.*

Folia hujus plantulæ & ſcapi ſæpe leviter pubeſcunt. Petioli exteriores interdum ad baſin augentur margine auriculato acuto bifidove. Scapus in qualibet planta ſylveſtri plerumque eſt ſolitarius; ubi culta ſucceſſive plures producit, at in reliquo habitu nihil mutat. Ad cultam itaque adumbravi hanc iconem, quam Botanophilis offero; cum quia nedum extare iſtam, opinor; tum ut comparari hæc Viola Auſtriaca cum octava Helvetica Halleri poſſit; quo certius dignoſcatur diverſitas. Folia ſæpe ſunt duplo delineatis minora, etſi flos ſit æque tum magnus; majora autem nunquam vidi. Amplior deſcriptio legi poteſt locis ſupra citatis.

ARABIS BELLIDIFOLIA.

Tab. 12.

ARABIS foliis ſubdentatis; radicalibus ex lanceolato cuneiformibus; caulinis lanceolatis; caulibus ſimplicibus.

Plantula Cardamines æmula. *Cluſ. hiſt. 458.*

Sinapi pumilum alpinum folio bellidis Cluſio. *Bauh. hiſt. 2. p. 870.*

Naſturtium alpinum bellidis folio majus. *Bauh. prodr. 46.*

Naſturtium alpinum bellidis folio minus. *Bauh. pin. 105. Scheuchz. alp. 44.*

Hujus plantæ, paucis ſpectatæ, in diverſo ſolo diverſa facies multos in ſynonymiam errores induxit. Cluſii ſane icon eſt optima, & plantam repræſentat, qualis in gramineis glareoſis & in ipſis nudis rupibus creſcere ſæpenumero ſolet. Hanc tamen iſtiusmodi icone donatam ſtirpem ſine ullo hæſitationis indicio ſuam eſſe bellidifoliam Cardaminen ſtatuerunt viri eruditiſſimi Linnæus & Hallerus, aliique hos ſecuti in hunc usque diem opinor omnes: quorum ego etiam deceptus ante biennium errore, in errorem contrarium incidi; dum credebam, habitare quoque in alpibus noſtris Cardaminen bellidifoliam Lapponiam Helveticamque, quantumvis ad plantulam Cluſii torquenda mihi ipſius eſſet deſcriptio, ac obſtaret non minus figura in Flora Lapponica delineata, quam haud exactam propterea ſuſpicabar, quod eo ipſo in loco Cluſianam, adeo ab hac diſcrepantem, bonam prædicaret Floræ auctor

plantæ-

plantæque autoptes Linnæus. Expungenda igitur ex Auſtriaca Flora eſt Cardamine Linnæi bellidifolia; niſi in poſterum vera hæc ibidem delegatur: Krameri enim aliorumque de hac inventa teſtimonium eodem niti falſo ſynonymiæ fundamento, omnino eſt credibile. Dubium tandem movit mihi Oederi Flora Danica, quæ ſimili ſynonymiæ vitio laborans figuram dat Linnæanæ perfecte congruentem: unde, re attentius examinata, errorem facile intellexi. Eſt itaque Cluſii plantula forte cum Bauhiniana Scheuchzerianaque eadem, at certe a Cardamine iſta Linnæi Hallerique bellidifolia (quæ profecto bellidis folia non admodum habet) diſtinctiſſima, & potius ad Arabis genus amandanda, cujus tunc ſpeciem novam conſtituet. Nec enim poteſt Arabis Thalianæ dici varietas, a qua primo ſatis diſcrepat habitu, uti ex accuratis hujus Thalianæ apud Barrelierum 269. & 270. nec non Thalium 7. D. iconibus patet abunde. Tum etiam a Thaliana differt caulibus nunquam ramoſis & radice plures annos perennante. Neque *Arabim* ego Thalianam huc usque in Auſtria offendi, quamvis in finitimis provinciis auſtralioribus etiam creſcere, acceperim ab amicis. Diſcriminatur autem ab alpina Arabis noſtra colore magis viridi, habitu firmiore, ſtatura erectiore, foliis magis obtuſis & minus profunde nec adeo frequenter dentatis, aliisque momentis. Manet tamen ſpeciem determinatura diſtinctio admodum difficilis, quam neſcio an ſtatuerim feliciter? Statura enim, glabritie vel hirſutie, florum numero, baſeos foliorum radicalium attenuatione, & aliis pluribus variat hæc Arabis in incultis quam maxime; dum in hortis medium quendam ſtatum adipiſcitur. Quoniam autem Cluſius ex minoribus aliquam icone expreſſit, idque omnino bene; ego non inutilem me facturum operam putavi, ſi ex majoribus unam delinearem, nec hanc tamen maximam. Ad hoc opportune anni ſexageſimi ſecundi menſe Octobri herbarum gratia ad alpes proficiſcentem me caſus tulit ad fontem dictum Cæſareum, (Kayſers Brunn) qui ex Schneeberg oritur ad ipſos pedes concurrentium aliquot alpium, nomenque ſortitur ab aqua, quam omnium optimam miniſtrat Auguſtæ Caſarum familiæ. Hic paucis ab ipſa ſcaturigine paſſibus, loco umbroſo & ab alluente perpetuo aqua humido, ceſpitem hujus plantæ ſane maximæ ſeminibusque jam onuſtæ ingentem & plures pedes extenſum inveni; ex quo deſumpto ſpecimi-

ne ad iconem ſum uſus. Ipſa non mediocris pars ceſpitis, in hortum Botanicum translata, Aprili & Majo ſubſequentibus numeroſos flores dederunt; caulibus nativam altitudinem perdentibus. Planta prædita eſt ſapore leviter pungente nec grato. Radix perennis, inæqualis, fuſca, & fibroſa unam alteramve lineam diametro æquat; & vel eſt ſimplex, vel ſuperne ſæpius multiceps ceſpitoſe abit in plures ramos elapſi anni foliorum reliquiis emarcidis hic illic ceu capillis veſtitos. Hi rami nunc longi, nunc breviores, horizontaliter vel oblique terræ incumbunt, aut liberi, aut radiculis immiſſis affixi. E quibuslibet his præſertim biennibus caulis exſurgit ſingularis, ſimpliciſſimus, teres, glaber, palma multo brevior vel contra pede altior, flores inodoros pro ratione ſtaturæ numero varios ſucceſſive proferens. Folia radicalia ex baſi cuneiformi petiolumque æmulante expanduntur in paginam obverſe lanceolatam, obtuſam, dentibusque paucis utrinque exciſam, rarius integerrimam. Caulina ſunt ſemiamplexicaulia vel ſimpliciter ſeſſilia, habentque figuram lanceolatam. Denticulos etiam paucos hæc exſerunt, minus vero conſpicuos ſuperiora, quæ acutiuſcula ſunt. Omnia autem ſaturate virent, craſſiuſcula ſunt nitidaque, punctis tamen ſeu papillis magis minusve protuberantibus interne notantur, quibus nonnunquam, idque præcipue in plantis pumilis, aſpera redduntur. imo hirta & marginibus ciliata ob inde emiſſos pilos. Florum petala nivea ſunt, & calyx ex flavo viret. Siliquæ eriguntur. Semina ruſeſcentia figuram certam non ſervant. Charactar plantæ genericus ſequens eſt.

CAL. Perianthium tetraphyllum, deciduum: foliolis oblongis, obtuſiuſculis, concavis, ſubæqualibus, vix gibbis, patulo-erectis.

COR. tetrapetala, cruciformis. Petala obovata, obtuſiſſima, plerumque leviter emarginata, patentia, calyce duplo longiora, deſinentia in ungues breves.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta; quorum duo longitudine calycis; quatuor reliqua fere duplo longiora. Antheræ cordatæ, acutæ, erectæ.

PIST. Germen teres, calycem leviter ſuperans. Stylus nullus. Stigma capitatum, obtuſum.

PER.

PER. Siliqua linearis, apice inſtructa acumine obtuſo ſive ſtigmate, compreſſo-plana, torulis ad ſemina inæqualis, longiſſima, bivalvis: valvulis longitudine diſſepimenti, a baſi dehiſcentibus nec revolutis, deciduis, diſſepimento diutius perſiſtente.

SEM. plurima, plana, inæqualiter ſubrotunda vel oblongiuſcula.

RANUNCULUS THORA.

Tab. 13.

RANUNCULUS foliis inferioribus ſubrotundo-reniformibus, crenatis; floralibus lanceolatis, integerrimis; caule inferne nudo. *Jacq. vind. pag. 249. Linn. ſp. pl. 10. p. 775.*

Ranunculus foliis radicalibus cordato-ſubrotundis, caulinis ſeſſilibus lanceolatis integerrimis. *Hall. helv. 327.* apud quem videatur ſynonymia ampliſſima.

Ranunculus grumoſa radice tertius. *Clus. hiſt. 239.*

Ptora valdenſium. *Clus. hiſt. 239. Lobel. ic. 604.*

Quum paucis datum Botanophilis ſit vivam hanc plantam intueri, nec adæquata apud auctores delineatio ejusdem reperiatur; quam hic ſiſto, futuram eſſe non injucundam, duxi. Exhibet illa plantam ſtatura majuſculam, nec tamen maximam, qua etiam duplo minorem alpes alunt. Ad latus adſtat hinc folium radicale e planta maxima deſumptum; illinc pedunculus ſeminifer, &, quo conſiderari calyx commodius poſſit, flos a tergo viſus. Corolla componitur petalis quinque vel ſex, interdum etiam pluribus, nunquam paucioribus; quæ ad baſin fovea ſplendente inſigniuntur. In hortos transplantata floret Aprili.

PRIMLA MINIMA.

Tab. 14.

PRIMULA foliis cuneiformibus, nitidis; ſcapis unifloris. *Jacq. Vind. pag. 208. Linn. ſp. pl. 5. p. 205.*

PER. Capſula ovato-oblonga, ſubquinquangularis, quinquelocularis, ſuperne quinquevalvis. Receptaculum pentagonum, longitudine capſulæ.

SEM. numeroſa, oblonga, acuta, minima.

CARDUUS ERISITHALES.

Tab. 17.

CARDUUS foliis amplexicaulibus, pinnatifidis; laciniis lanceolatis, ſpinuloſo-ciliatis: calycibus glutinoſis, nutantibus. *Jacq. Vind. pag. 279.*

Carduus pratenſis, foliis tenuibus laciniatis. *Bauh. pin. 376.*

Cnicus foliis amplexicaulibus pinnatifidis hirſutis, calycibus nutantibus glutinoſis. *Linn. ſp. pl. 4. p. 1157.*

Deſcripſi antea hanc plantam, quam inter Cnicos retulit nuperrime Linnæus. In hortis culta lætiſſime excreſcit, atque ipſa ſe ex ſeminibus propagat; multo autem quam in loco natali evadit altior, foliaque adipiſcitur altero etiam anno radicalia pinnatifidaque maxima. Delineata ſiſtitur, qualis in ſubalpinis naſcitur. Ad latus adſtat folium radicale primi anni.

SCABIOSA SYLVATICA.

SCABIOSA corollulis quadrifidis, radiantibus; foliis omnibus indiviſis, inferioribus ovatis ſerratis, ſummis lanceolatis integerrimis; caule hiſpido. *Jacq. Vind. pag. 22.* ibidem dicta *pannonica.*

Scabioſa corollubis quadrifidis æqualibus, foliis omnibus indiviſis ovatis acuminatis ſubſerratis, caule hiſpido. *Linn. ſp. pl. 8. p. 142.*

Scabioſa foliis ovato-lanceolatis ſerratis ſubhirſutis, caule hiſpido. *Hall. helv. 671.*

Scabioſa corollis quadrifidis, receptaculis piloſis, foliis ovato-lanceolatis ſerratis hiſpidis. *Scop. carn. 2. p. 351.*

Scabioſa latifolia pannonica flore rubro ſeu tertia. *Clus. hiſt. II.*

Scabioſa latifolia pannonica purpuraſcente flore ſeu quarta. *Clus. hiſt. II.*

Scabio-

Auricula urſi octava minima. *Clus. hiſt. 305.*
Sanicula alpina minima carnea. *Bauh. pin. 243.*

Tabula hæc Primulam minimam ſub vario ſuo in ſolo natali creſcendi habitu repræſentat. Deſcriptionem dedi loco ſupra citato.

PRIMULA INTEGRIFOLIA.

Tab. 15.

PRIMULA foliis integerrimis, glabris, oblongis; calycibus, obtuſis. *Linn. ſp. pl. 4. p. 205. Jacq. Vind. pag. 209.*
Primula foliis glabris, carnoſis, integerrimis. *Hall. helv. 485.*
Auricula urſi quarta. *Clus. hiſt. 303.*
Sanicula alpina rubeſcens, folio non ſerrato. *Bauh. pin. 243.*

Primula hæc ipſis in alpibus ſtatura valde variat; quare in tabula ad iconem vulgarioris adjeci folium plantæ majoris. Non vero tam ceſpitoſa, uti minima dicta, ſed magis vaga occurit. Culturam admittit, floretque in hortis Aprili & Majo. Nullibi in Auſtria forte provenit copioſius quam in Etſcheri jugis.

RHODODENDRON FERRUGINEUM.

Tab. 16.

RHODODENDRON foliis glabris, ſubtus leproſis; corollis infundibuliformibus. *Linn. ſp. pl. 1. p. 562.*
Ledum foliis glabris, flore tubuloſo. *Hall. helv. 417.*
Ledum alpinum, foliis ferrea rubigine nigricantibus. *Bauh. pin. 468.*
Ledi alpini genus alterum. *Clus. hiſt. 82.*

Citato apud Hallerum loco ampliſſima hujus fructicis ſynonymia conſuli & deſcriptio conveniens poſſunt. In Auſtriæ alpibus reperitur non infrequens, florumque copia houd minus atque elegantia has mire exornat. In ultimis alpium jugis ad foſſarum nive cumulatarum ſummos margines creſcere ſub pinetis nanis ſolet; in ſubalpinis autem præruptas & humentes rupes ſive muſcoſas ſive gramineas amat, ubi diffu-

diffufus late interdum fe extendit. Ex ramis infimis procumbentibus radices tenellas terræ infigit. Evadit hinc, quantumvis evelli ipfa princeps radix rupium infixa fiffuris recufet, illius tamen in hortos transplantatio fat facilis; ubi crefcere etiam per annos quidem, at minus læte, pergit, & flores raros producit. Ad ramufculorum extremitates folia confertim enafcuntur; quæ funt coriacea, ovalia, obtufa, utrinque attenuata, & breviter petiolata. Hæc initio vivere utrinque folent; ætate vero fuptus lepram contrahunt ferrugineam punctisque atris notatam, quæ ipfa cum glabra fit, exprimi diftincte fculptura vix potuit. Obfervavi etiam interdum folium unum alterumve novellum ad bafin præcipue ciliis, uti in congenere hirfuto ornatum, quæ forfitan pereunt in fenectute. Quemlibet fere ramufculum erectus racemus terminat. Pedunculi uniflori plures vel pauciores, fparfi, erecti, punctatique florem fuftinent nutantem, pulcre rofeum cum punctis cinereis, & vix odorum. Germen viret, & paulatim poft petali lapfum erigitur. Filamenta ex rubello albefcunt, & ut plurimum prius decidunt quam ipfæ corollæ. Antheræ funt flavæ. In icone ramum florentem, abfciffis, ne confufio oriretur, ramufculis pluribus, exhibui; cujus ad inferum latus ftat ramufculus fructiger, capfulis jam apice apertis, & foliis majufculis ornatus; ut etiam horum obvia magnitudinis diverfitas fpectari poffit. Characterem inveni fequentem.

CAL. Perianthium monophyllum, exiguum, quinquedentatum, bafin petali fuftentans, perfiftens.

COR. monopetala, infundibuliformis, femiquinquefida. Tubus calyce amplior, bafi in gibbulos quinque protuberans, interne villofiufculus, externe punctis fcaber. Limbus patentiffimus, ferme bilabiatus: laciniis oblongis, obtufiffimis, planis, inferioribus duobus paulo anguftioribus & longioribus.

STAM. Filamenta decem, fubulata, inferne hirfuta, adfcendentia, inferiora gradatim breviora, corollæ tubum non fuperantia, denticulo attenuato ipfi receptaculo inferta. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum, pentagonum, retufum, parvum, fuperum. Stylus filiformis, fitu & fere longitudine ftaminum. Stigma capitatoquinquefidum.

PER.

Scabiosa latifolia rubra non laciniata secunda. *Bauh. pin.* 270.
Scabiosa montana latifolia non laciniata rubra & prima. *Bauh. pin.* 270.

Habitu hæc Scabiosa convenit cum Scabiosa arvensi, a qua specie differt certissime. Ab integrifolia autem caulis hispiditate sui Magnoliano bellidifoliæ istius epitheto discriminatur abunde. Quare sub pannonicæ triviali nomine proposueram novam hanc speciem in opusculo meo de stirpibus agri Vindobonensis paucis ante mensibus, quam in altera Specierum suarum editione eandem ederet Linnæus sub sylvaticæ titulo, quem, viro tanto lubenter meritoque cedens, rejecto meo, hic assumpsi. Videtur autem ille in Scabiosæ integrifoliæ synonymia commisisse errorem, qui Scabiosæ nostræ varietatem demit. Clusiana enim Scabiosa quarta, quam ipse auctor ait mixtim cum tertia sua in Pannonia Austriaque provenire, mera varietas tertiæ est habenda, & hæc vera ramosior, qualis sæpe occurrit, sylvatica Linnæi est, ad quam utraque Clusii Bauhinique planta pertinet. Noto etiam, duplicem, qui typographo forte debetur, errorem in Linnæanam utriusque Scabiosæ synonymiam irrepsisse; quando in integrifolia citatur synonymum Scabiosæ Clusianæ quartæ cum icone tertiæ, in sylvatica autem adducit auctor clarissimus Clusii Scabiosam titulo quidem tertiam, at numero secundam sive propriam stellatam. Venio ad sylvaticæ descriptionem. Caulis herbaceus, viridis, teres, cavus, pilis rigidiusculis ex punctis nigris ortis hispidus, subdichotomus, erectus, pedem unum alterumve altus, unicus vel pauci ex eadem radice exsurgunt Folia sunt opposita, venosa, acuta, utrinque hirsuta; quorum inferiora ovata dentato-serrata, nunquam laciniata vel incisa, tres quatuor vel quinque pollices longa; summa ex lineari lanceolata & integerrima. Radicalia & infima subsequentia sæpe in petiolum subalatum longissimumque attenuantur; reliqua sessilia sunt. Pedunculi longissimi flores sustinent purpureos, communis calycis foliolis lanceolatis ac inferne ciliatis longiores. Flosculos radiantes distinguunt setæ villosæ & brevissimæ, nequaquam foliola calycis. Semina ovalia, dilute fusca, pilosiuscula, coronantur perianthio exteriori & persistenti, quod est tantummodo margo brevissimus & inæqualis; tum etiam perianthio in-

teriori campanulato, plerumque decemdentato, denticulis in ſetam ſubulatam terminatis, ſed caduco. Creſcit per totam Auſtriam & Provincias vicinas ad latera ſylvarum, in ſylvis cæduis, arvis; & alibi. Floret fere integram æſtatem.

CAMPANULA PULLA.

Tab. 18.

CAMPANULA cauliculis unifloris; foliis caulinis ovatis, crenatis; floribus cernuis. *Linn. ſp. pl. 2. p. 231.*

Campanula alpina latifolia, flore pullo. *Baub. pin. 93. prodr. 33.*

Quum videantur Auſtriacæ alpes hanc ſibi plantulam propriam vindicare; imo ſolis in ſylvaticis Schneealbl, ſed copioſe, ego invenerim illam; quam ob id ipſum paucis perſpectam eſſe Botanophilis oporteat; inde etiam exhibita in Bauhini prodromo figura noſtrati plantæ minus conveniat; operæ pretium me facturum exiſtimavi, offerenda rei herbariæ amatoribus exacta hujus delineatione. Culta in hortis alpinas inter forte omnes optime vegetat, extenditur in ceſpites denſiſſimos, habitum plerumque ſervat natalem, interdum major evadit, foliaque tunc acquirit, quale unum ad latus in tabula ſeparatim expreſſi. Nec in hac nec in ſylveſtri ramoſum unquam cauliculum aut quam unico pluribus floribus onuſtum offendi. Radix filiformis, fibroſa, repens, & perennis, cauliculum unicum vel plures emittit erectos, ſemipedales vel breviores, tenues, ſimpliciſſimos, nunc rectos, nunc ſubreflexos, teretiuſculos, ſtriatos, baſi ſubvilloſos, cæterum glabros, ſuperne nudos & in pedunculum quaſi abeuntes. Folia ſunt ſubovata, inferiora latiora, glabra, acutiuſcula, ſerrata leviter, in petiolum brevem attenuata, ſuperiora ſæpe ſubſeſſilia, alternatim ſparſa, ſumma plerumque multo minora, infima ovata, vel in aliis individuis obovata & obtuſiſſima. Flos ſolitarius, inodorus, cernuus, ſaturate cyaneus, vix pollicaris. Calycis lævis foliola ſunt linearia, acuta, petaloque duplo breviora. Corollæ venoſæ laciniæ ſunt breves. Nectarium hirſutnm. Germen ad minus pentagonum.

ANDRO-

ANDROSACE ELONGATA.
Tab. 19.

ANDROSACE corollis calyce brevioribus; pedicellis fructescentibus longissimis; foliis subdentatis. *Linn. sp. pl. pag. 1668.*

In horto Botanico Vindobonensi sponte quotannis provenientem vidi hanc Androsacen; in agro autem obviam nondum habui. Annua, tota glabra, scapis pedunculisque levissime villosis, habitu congeneres imitatur; a quibus tamen primo intuitu facile distinguitur. E seminibus suis propagatur, eademque manet. Radix fibrosa est, ac tenuis. Folia radicalia omnia sunt numerosa, lanceolata vel oblonga, inaequalia inter se, supra medium dentato-serrata, rarius integerrima, crassiuscula, virentia, margine summo quandoque rubente. Ex horum alis scapi exsurgunt plures teretesque, quorum intermedius, qui primus enascitur, & jam ante floriger est, quam exteriores prodeunt, semper his multo crassior est breviorque. Involucri universalis foliola ad minus tot numerantur, quot pedunculi, eaque lanceolata, acuminata, glabra, integerrima, apicibus plerumque rubentibus; quorum ut plurimum quinque exteriora. Pedunculi proprii successive prodeunt, primo exteriores, involucro florentes duplo longiores, fructigeri ad triplum quadruplum & ultra elongati? Floris perianthium pentagonum patet. Petali albi laciniae emarginatae laciniis calycinis longitudine ad duplum cedunt. Calyx in fructu immutatus, sed major, lacinias omnimode expandit. Capsula est subrotunda. Florere incipit initio Aprilis, Junioque semina perficit. In tabula exhibui plantam majorem fructigeram, ad latus alterum minimam florentem, ad alterum adolescentem & pluribus jam scapis instructum.

ALYSSUM MONTANUM.

ALYSSUM ramulis suffruticosis, diffusis; foliis obversae lanceolatis, tomentosis. *Jacq. Vind. pag. 258. Linn. sp. pl. 2. p. 907.*

Alyssum foliis lanceolatis obtusis incanis, caulibus procumbentibus, radice perenni. *Hort. Cliff. 332. Roy. Lugd. 331.*

Clypeola perennis, siliqua biloculari rotunda, stylo longiore. *Hall. helv. 540.*

Thlaspi montanum luteum. *Baub. hist. 2. p. 928. t. 929.*

Thlaspi montanum incanum luteum. *Baub. prodr. 49.*

Hujus Alyssi descriptionem in stirpium Austriacarum enumeratione tradidi. Floris characterem, a congeneribus quodammodo discrepantem, ibidemque omissam, hic subjungo.

CAL. Perianthium tetraphyllum, deciduum: foliolis ovato-oblongis, obtusiusculis, concavis, patulo-erectis, villosis, æqualibus.

COR. tetrapetala, cruciformis. Petala obcordata, in unguem calycis fere longitudine attenuata, plana, patentissima, calyce duplo longiora, singula duo vicina mutuo incumbentia aliisque duobus opposita.

STAM. Filamenta sex, subulata, erecta, longitudine calycis; quorum duo opposita ad basin internam denticulo subulato erectoque aucta paulo sunt breviora reliquis apice bifidis sed lacinia interna obsoleta. Antheræ oblongæ, suberectæ.

PIST. Germen subrotundum. Stylus simplex, longitudine staminum. Stigma obtusum.

PER. Silicula compresso - subglobosa, stylo longitudine siliculæ ipsius instructæ, bilocularis: valvulis compresso - hemisphæricis; dissepimento orbiculari.

SEM. nonnulla, compressa, per filamenta apici siliculæ affixa.

SCOPOLA CARNIOLICA.

Tab. 20.

SCOPOLA.

Atropa caule herbaceo, foliisovatis integris, calycibus erectis, fructu capsulari. *Scop. carn. pag. 288.*

A Joanne Antonio Scopoli, Idriensi medico, & historicæ naturalis indefesso cultore, omnium, ni fallor, primo hæc planta sponte nascens in sylvis umbrosis Idriensibus reperta fuit & descripta: quæ cum omnino mihi videdatur novum genus postulare, ab ipso inventore de-

sumpto

ſumpto nomine Scopola appellata mihi eſt. Tabula totam plantam ſylveſtrem una cum radice exhibet, & ad latus partes diſtinctas fructificationis. Ex radice transmiſſa jam quartum annum in horto Botanico Vindobonenſi perennat, & flores produxit. Habitu admodum ad Atropam Belladonam accedit, a qua in fructus ſtructura diſcriminatur quam maxime. Radix nodoſa craſſa & inæqualis eſt. Caulis herbaceus, annuus, erectus, pedalis, glaber, & ſubtrichotomus ſulco a foliis decurrente inſignitur. Folia ſunt ſubovata, vel lanceolata, integra, vel infima in cultis ſæpe antice ſinuato-dentata, venoſa, rugoſa, in petiolum decurrentia, inferiora oppoſita, reliqua ſparſa nec ordinem ſervantia. Flos ex pedunculo ſolitario longiori pendulus, inodorus, corolla ex purpureo flaveſcente, charactere gaudet ſequenti.

CAL. Perianthium monophyllum, hemiſphæricum, quinquedentatum, perſiſtens.

COR. Petalum campanulatum, oblongum, magnum, quinquedentatum, baſi in tubum brevem anguſtatum, deciduum.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, inæqualia, erecta, hirſuta, petalo breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes, magnæ.

PIST. Germen ovatum, obtuſum, receptaculo inſidens, in ambitu ad baſin denticulis quinis nectariferis notatum. Stylus filiformis, ſtaminibus longior. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Capſula ſubrotunda, calyce inflato excepta, bilocularis, una cum pedunculo & calyce decidens, poſt lapſum tandem transverſim dehiſcens.

SEM. reniformia, verrucoſa, nitida, in quolibet loculamento circiter viginti tria, affixa receptaculo orbiculari.

CAMPANULA THYRSOIDES.

Tab. 21.

CAMPANULA hiſpida; racemo ovato-oblongo, terminali; caule ſimpliciſſimo, foliis linearibus. *Linn. ſp. pl. 19. p. 235. Jacq. Vind. pag. 211.*

Campanula floribus lanuginosis, in densissimam spicam conicam congestis. *Hall. helv. 493.*

Campanula foliis echii. *Bauh. pin. 94.*

Trachelium thyrsoeides. *Clus. hist. CLXXII.*

Alopecurus alpinus quibusdam, Echium montanum Dalechampii. *Bauh. hist. 2. p. 809.*

Meretur profecto elegans hæc & in solis subalpinis obvia Campanula, facta ad naturale volumen figura, etiam cognosci ab istis Botanophilis, quibus alpes lustrare non contigit. Sisto itaque in hac tabula delineationem ipsius omni diligentia perfectam. Conspiciuntur ad caput radicis hic inferne ramosæ, alias etiam indivisæ, foliorum primi anni reliquiæ emarcidæ & breves; quæ scilicet radicalia fuerunt. Altero anno hæc absunt, sed foliosus & floriger exoritur caulis, quo ad finem Septembris marcescente tota perit planta. Primo ætatis anno in horti locum umbrosum transplantata, altero caulem bipedalem producit multo quam in natali solo venustiorem. Ampliorem historiam antea dedi.

DOLICHOS MINIMUS.

Tab. 22.

DOLICHOS volubilis; leguminibus racemosis, compressis, tetraspermis; foliis rhombæis. *Linn. sp. pl. 11. p. 1020?*

Dolichos minimus, floribus luteis. *Hort. Cliff. 360. t. 21?*

Dolichos minimus fœtidus repens, siliculis bispermis. *Brown. jam. 7. p. 294.*

Phaseolus minimus fœtidus, floribus spicatis e viridi luteis, semine maculato. *Sloan. hist. jam. 1. p. 182. t. 115. f. 1.*

Curaçaviensibus hæc planta vocatur *Vrattekruyt* sive Herba contra verrucas, eo quod cum sale tusa folia, verrucisque imposita, his mederi ferantur. Crescit in omnibus Caribæis inter fruteta, quæ ramis numerosis ad trium quatuorve pedum altitudinem scandit. Folia sunt glauca & rhomboidea. Racemi stricte patent. Florum alæ flavescunt; vexillum ex rubro fuscescit, marescens cærulescit. Ex allatis

tis a me seminibus in horto Botanico floruit, nec habitum mutavit. Legumina plerumque disperma villosa sunt & fusca. Quum vero hic videatur a Linnæana in horto Cliffortiano icone differre, ad Curaçaviensem plantam in ipsa America factam hanc figuram Botanicis offero.

PORTULACA TRIANGULARIS.

Tab. 23.

PORTULACA foliis obovatis, planiusculis, racemo simplici, triquetro. *Linn. sp. pl. 5. p. 640.*

Portulaca pedunculis multifloris triangularibus. *Jacq. enum. amer. pag. 22. hist. amer. 1. p. 147.*

Helianthemum frutescens, portulacæ folio. *Plum. ic. 150. f. 2.*

Exhibeo Portulacam hanc in mea tabula, qualis scilicet ipsis in rupibus crescere solet loco solis ardori magis exposito. Alias flores sæpe triplo majores sunt, majoraque & plura folia. Nomen triviale meum *triangulare* hic non mutavi, nec *racemosum* Linnæanum assumpsi; primo quia sculptum in tabula jam habebatur meum, nec deleri commode poterat; tum quod proprium erat huic speciei præ cæteris, ubi *racemosi* nomen etiam Anacampseroti conveniret; tertio quia ob editam stirpium Americanarum enumerationem meam *triangulare* erat antiquius; imo mutatio trivialium nominum, ut optime in præfatione sua ad plantarum species innuit Linnæus, licet in melius, plus nocet quam proderit.

PASSIFLORA LAURIFOLIA.

PASSIFLORA foliis indivisis, ovatis, integerrimis; petiolis biglandulosis; involucris dentatis. *Linn. sp. pl. 7. p. 1356.*

Passiflora foliis solitariis oblongis integerrimis, floribus solitariis, involucro tripartito dentato. *Roy. lugd. 532.*

Passiflora arborea, laurinis foliis, americana. *Pluk. alm. 282. t. 211. f. 3.*

Clema-

Clematis indica, fructu citriformi, foliis oblongis. *Plum. amer. 64. t. 80.*

Marquiaas. *Mer. ſurin. 21. t. 21.*

Ubique in inſula Martinicenſi ſponte provenit hæc elegans Paſſiflora, æque in montibus, quam ad ripas torrentum littoraque inundata maris, at ſemper in frutetis & arboretis denſis, nec a ſolis tamen irradiatione nimium remotis: unde illius cultura in hac inſula fere negligitur. In fruticetis demiſſis quaquavorſum in latum extendit cirrhoſos ſuos ramos; arbores autem proceras ad usque cacumina ſcandit. Fruticoſa & lignoſa eſt. Rami juniores herbacei & teretes virent nitentque. Folia habet ex oblongo ovata, acuta vel obtuſa, integerrima, nitida, læte virentia, plana, duos cum dimidio pollices longa, petiolo brevi & utrinque ſuperne uniglanduloſo ſuffulta. Ex horum axillis cirrhi egrediuntur longiſſimi. Flores ſpecioſi, ex violaceo purpureo alboque concinne ordinatis variegati, odoratiſſimi, pollicem diametro excedunt. Fructus volumen & figuram ovi gallinacei habent, niſi quod in utrumque æqualiter apicem attenuentur. Spirant aroma proprium & gratiſſimum. Corticis initio vireſcentis colore belle luteo maturitatem ſuam indicant. Hic autem tunc coriaceus, mollis, valde tenax, & lineam craſſus, ad apicem cultro vel morſu perforatur; ut levi adhibita corticis compreſſione exſugi inde omnis cum contentis ſeminibus pulpa & ſorberi poſſit. Hæc ex aqueo alba eſt, ſubglutinoſa, dulcis, ſapidiſſima, odorifera; Europæis non minus quam incolis grata. Semina cordis plani ſimilitudine gaudent. Pueri pulpa vacuum corticem aëre inflando replent, ſaxoque vel pavimento impoſitum pede valido culcant; quo fit, ut ſumma vi ac celeritate egreſſus ex facto in tenaciſſimo cortice foramine aër ſonitum edat illo, qui in ſclopeti minoris exploſione auditur, non inferiorem. Gallis vocantur *Pommes de Lianne* ſive Poma hederacea, Anglis *Honey-Suckles* ſeu Mammæ melliferæ. Nata ex miſſo ſemine in horto Cæſareo planta ſeptimum jam annum perennat, viget lætiſſime, & integrum altiſſimi caldarii parietem obveſtit, nec tamen produxit florem huc usque ullum. Per taleas facillime propagatur, atque etiam per inſitionem in aliis paſſifloris.

VER-

VERBENA LAPPULACEA.

Tab. 24.

VERBENA tetrandra; calycibus fructigeris subrotundis, inflatis; seminibus echinatis.
Verbena diandra? calycibus-subrotundis erectiusculis, seminibus echinatis. *Linn. sp. pl. 7. p. 28.*
Verbena foliis cordato-ovatis spicatis, calycibus inflatis, seminibus echinatis. *Brown. jam. 5. p. 116.*
Scorodonia floribus spicatis purpurascentibus pentapetaloideis, semine unico majori echinato. *Sloan. hist. jam. 1. p. 174. t. 110. f. 1.*
Blairia. *Houst. Amm. herb. 277.*
Burseria. *Læfl. hisp. 194.*

Descriptionem & characterem genericum hujus plantæ forte sui generis nobis optima tradidit Læflingius, qui consulatur. Adjunxi his pauca in Historia stirpium Americanarum pag. 96. Nunc iconem sisto plantæ nedum ramosæ. Sloanei figura fructus nimios exhibet. In plerisque Caribæis habitat. Stamina perpetuo quatuor adsunt. Ex seminibus allatis noluit germinare.

LAURUS PERSEA.

LAURUS foliis venosis, ovatis, coriaceis, perennantibus; floribus corymbosis. *Linn. sp. pl. 7. p. 529.*
Laurus foliis oblongo-ovatis, fructu obverse ovato; pericarpio butyraceo. *Brown. jam. 4. p. 214.*
Persea. *Plum. gen. t. 40. Clus. hist. pag. 2.*
Prunifera arbor fructu maximo pyriformi viridi, pericarpio esculento butyraceo nucleum unicum maximum nullo officulo tectum cingente. *Sloan. hist. jam. 2. p. 132. t. 222. f. 2.*
Arbor americana, amplissimis pergamenis foliis, superficie nitidissima, fructu pyriformi crustaceo cortice coriato. *Pluk. alm. 39. t. 267. f. 1.*

Ex Americæ olim Continente introducta in insulas adjacentes fuit, ubi nunc passim ad pagos, oppida, in hortis aliisque cultis obvia spectatur. Ad altitudinem extensionemque pyri Europeæ vastioris accedit, cæterum non inelegans, & satis foliosa. Tertio ætatis anno fructum ferre dicitur. Materies leucophæa cortice ferme concolori obducitur. Flores producit numerosos, parvos, albidos, subodoratos. Hisce fructus succedunt in hoc genere ingentes, pugno virili majores, ex rotundo obverse ovati, initio læte virentes, maturi plerumque ex fusco saturate purpurascentes. Maturitas concussione cognoscitur ex nuclei contenti sonitu. Asservantur tamen per paucos adhuc dies, antequam comedantur, quo teneriores evadant. Cortex non admodum crassus & fragilior tunc frustatim abstrahi a carne subjecta potest. Hæc virescens, eoque albidior, quo magis distat a cortice, digitum crassa, odoris fere expers, consistentiæ butyraceæ, sapore singulari & gratissimo, in quo aliquid cynaræ & nucis avellanæ mihi visus sum deprehendere, cum nullo tamen ex fructibus Europæis vere comparando, prædita est. In centro libere locatur nucleus subrotundus, superficie inæqualis, albus, diametro pollicem excedens, non edulis, lacte candido sed ad aëris attactum rufescente scatens, fructu exemptus altero jam die effectus, pellicula tenui membranacea & madescente laxe obductus. Fructus in mensis præcipue nobiliorum quotidie apponitur, & apud Gallos una cum elixa bovina comeditur, aut nullo aromate, aut sale & pipere adspersus. Solet autem cum ipso cortice longitudinaliter circa nucleum scindi in frusta sesquidigitum lata, adsidentibus singulatim offerenda. Est porro hominibus non tantum quibuscunque in deliciis; sed, qua forte inter vegetantia cætera fruitur æstimatione solus, etiam omnis generis animantibus acceptus; ita ut æque a gallina, vacca, cane, & fele expetatur. Ego certe nullum in America fructum devoravi avidius; etsi primo alteroque prandio, quod noviter advenientibus etiam contingit aliis, non vehementer placuisset. Hispanis vocatur *Peral de abogado* & Gallis *Poirier d'avocat*, id est, Pyrus causidici. Anglis etiam eodem nomine *Avocato Pear-Tree*, vel alio *Alligator Pear-Tree* sive Pyrus crocodili venit. In Europam transmissæ iter non sustinuerunt.

IPO-

IPOMÆA TUBEROSA.

IPOMÆA foliis palmatis; lobis feptenis, lanceolatis, acuminatis, integerrimis; pedunculis trifloris. *Linn. fp. pl. 4. p. 227.*

Ipomæa heptadactyla major fcandens, flore majori campanulato, calyce membranaceo, feminibus majoribus villofis. *Brown. jam 6. p. 155.*

Convolvulus major heptaphyllus, flore fulphureo odorato. *Sloan. hift. jam. 1. p. 152. t. 96. f. 2.*

Convolvulus americanus, mandjuccæ multifido, folio, heptaphyllos, flore albo fundo purpureo, radice tuberofa, cortice albo. *Pluk. alm. 116. t. 276. f. 5.*

Elegantiffimam hanc ftirpem in Caribæis vicinisque infulis cultam paffim inveni; in *fola Domingenfi* vere *fylveftrem*. Hic enim in montibus editioribus, qui arei Picquolet ad portum oppidi Cap Français imminent, nudas præruptasque rupes numerofis ramis fuis obveftit, & occurrit frequentiffima. Fruticofa eft; & caules infimi lignofique pollicarem craffitiem in diametro poffident. Tota fcatet lacte candido. Mira plantæ florentis, cultæ præfertim, eft pulcritudo, cui florum fumma grataque fragrantia novum pretium addit. Ex alis plerisque foliorum pedunculi multiflori egrediuntur, onufti floribus faturate fulphureis, bipollicaribus, & *fpeciofis*. *Bis in anno* florere mihi vifa fuit, nimirum ab Aprili ad Junium, & ab Octobri ad Decembrim. Folia perfiftunt, & palmam humanam æquant. Capfulæ membranacea, ex quadrato fubrotundæ, & fubpellucidæ, includunt femina quatuor atra villofa ac congeneres inter plantas fortaffe maxima. Hæc plures annos etiam in Europa fœcunda permanent, germinantque in caldariis ilico; fed enatæ mihi plantæ, quantumvis æftate vegetæ, ad hyemis adventum perierunt pleræque, alteram hyemem fuftinuere nullæ; hinc nec flore cultorem bearunt. Solent inde in hortis cauponisque Caribæarum pergulæ exftrui, quas penetrare ob foliorum ramorumque multitudinem radii folis nequeunt.

MALPIGHIA ALTISSIMA.

MALPIGHIA foliis lanceolatis, glabris, integerrimis; racemis terminalibus, erectis.

Vidi hanc arborem trigintapedalem vel etiam altiorem, adeoque Malpighias inter mihi cognitas longe altissimam, ubertim in sylvis crescentem circa vicum Roberti in insula Martinicensi. Truncus rectus in comam pyramidalem elegantemque abit. Folia habet ex ovato lanceolata, tres quatuorve pollices longa, acuta, integerrima, glabra, petiolata, facie læte virentia, dorso sæpe colore ferrugineo tincta. Flores flavi & suaveolentes charactere & magnitudine congenerum gaudent, locanturque in racemis longis terminalibus erectisque; unde florescentiæ tempore amœnum nec Hippocastano absimile spectaculum præbet hæc arbor. Floribus succedunt baccæ flavæ, utrinque depressæ, molles, ceraso minores, sapore acido nec grato, ab ipsis hinc albarbaris fere neglectæ, sed expetitæ ab aviculis. Materies est albida. Ab incolis *Bois tan* sive Arbor coriaria vocatur, quia cortex coriis densandis aptus habetur, & forte in usu fuit.

DIANTHUS SUPERBUS.

Tab. 25.

DIANTHUS floribus paniculatis; squamis calycinis brevibus, acuminatis; corollis multifido-capillaribus; caule erecto. *Linn. sp. pl.* 11. *p.* 589. *Amœn. acad.* 4. *p.* 272.

Caryophyllus sylvestris sextus. *Clus. hist.* 284.

Caryophyllus simplex alter, flore laciniato odoratissimo. *Bauh. pin.* 210.

Tunica petalis profundissime laciniatis. *Hall. helv.* 382.

Elegantissimus hic Dianthus tam exacte apud Clusium Linnæumque descriptus habetur, ut addi vix quidquam possit. Radix albicans, nodosa, sub terra repens, & tenuis perennat. Coli patitur se facillime. In tepidario asservatum caules protulisse successive novos, & floruisse ab Augusto ad Februarium usque insequentem vidi. Crescit ad rivulos in gramineis humidis pratisque Neostadii alibique in Austria. Floret Augusto & Septembri.

PLAN-

PLANTÆ ADDENDÆ
IN ENUMERATIONE MEA VEGETABILIUM AGRI VINDOBONENSIS.

VERONICA (*Teucrium*) racemis lateralibus, longiſſimis; foliis ovatis, rugoſis, dentatis, obtuſiuſculis; caule erecto. *Linn. ſp. pl. 18. p. 16.*

VERONICA (*piloſa*) racemis ſubſpicatis; foliis ovatis, obtuſis, plicatis; caule proſtrato, piloſo. *Linn. ſp. pl. pag. 1663.*

VERONICA (*latifolia*) racemis lateralibus; foliis cordatis, rugoſis, dentatis; caule ſtricto. *Linn. ſp. pl.* 24. *p.* 18.

Habitant omnes tres paſſim circa Viennam.

UTRICULARIA (*vulgaris*) nectario conico; ſcapo paucifloro. *Linn. ſp. pl.* 3. *p.* 26.

H. in ſtagnis Danubialibus. F. Julio.

POLYCNEMUM (*arvenſe*) *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 50.

H. in collibus arenoſis. F. æstate.

SCIRPUS (*acicularis*) culmo tereti, nudo, ſetiformi; ſpica ovata, terminali, bivalvi; ſeminibus nudis. *Linn. ſp. pl. 7. p. 71.*

H. in ſtagnis Danubialibus.

AGROSTIS (*canina*) calycibus coloratis; petalorum ariſta dorſali recurva; culmis proſtratis, ſubramoſis. *Linn. ſp. pl.* 7. *p.* 92.

H. in pratis ſubalpinis.

AGROSTIS (*ſtolonifera*) paniculæ ramulis divaricatis, muticis; culmo ramoſo, repente; calycibus æqualibus. *Linn. ſp. pl.* 8. *p.* 93.

H. in pratis Danubialibus.

AIRA (*flexuoſa*) foliis ſetaceis; culmis ſubnudis; panicula divaricata; pedunculis flexuoſis. *Linn. ſp. pl. 9. p. 96.*

H. in montoſis aridis.

POA (*anguſtifolia*) panicula diffuſa; ſpiculis quadrifloris, pubeſcentibus; culmo erecto, tereti. *Linn. ſp. pl. 5. p. 99.*

H. in pratis & cultis.

POA (*distans*) panicula diffusa; spiculis omnibus sexfloris, linearibus, tenuissimis; flosculis subdistantibus.

H. in pratensibus. Gramen habitu Poæ aquaticæ, sed omnia teneriora & multoties minora, spiculis tamen non brevioribus.

CYNOSURUS (*durus*) spiculis alternis, secundis, sessilibus, rigidis, obtusis, appressis. *Linn. sp. pl. 4. p. 105.*

H. passim ad vias, in pratensibus aridis, in aggeribus, & alibi circa Viennam. F. Majo.

FESTUCA (*rubra*) panicula secunda; spiculis sexfloris, aristatis; flosculo ultimo mutico; culmo semitereti. *Linn. sp. pl. 5. p. 109.*

H. ad margines arvorum gramineos.

FESTUCA (*bromoides*) panicula secunda; spiculis erectis, lævibus; calycis altera valvula integra, altera aristata. *Linn. sp. pl. 10. p. 110.*

H. in pratis & collibus siccioribus. F. vere.

BROMUS (*mollis*) panicula erectiuscula; spicis ovatis; aristis rectis; foliis mollissime villosis. *Linn. sp. pl. 2. p. 112.*

H. passim in arvis & siccis sterilioribus.

GALIUM (*sylvaticum*) foliis octonis, lævibus, subtus scabris; floralibus binis; pedunculis capillaribus; caule levi. *Linn. sp. pl. 13. p. 155.*

H. passim in sylvis montosis.

GALIUM (*rotundifolium*) foliis quaternis, ovatis, aculeato-ciliatis; seminibus hispidis. *Linn. sp. pl. 21. p. 156.*

H. copiosissime in subalpinis sylvaticis & mucosis Breininis. F. Julio & sequentibus.

ANDROSACE (*elongata*) corollis calyce brevioribus; pedicellis frutescentibus longissimis; foliis subdentatis. *Linn. sp. pl. pag. 1668.*

H. in cultis. F. prime vere.

CAMPANULA (*barbata*) capsulis quinquelocularibus, obtectis; caule simplicissimo, subunifolio; foliis lanceolatis; corollis barbatis. *Linn. sp. pl. 22. p. 236.*

H. passim in pratis subalpinis Gans aliisque.

GEN-

GENTIANA (*utriculosa*) corollis quinquefidis, hypocrateriformibus; calycibus plicato-alatis. *Linn. sp. pl. 15. p. 332.*

H. in subalpinis gramineis.

ALSINE (*mucronata*) foliis setaceis; calycibus aristatis; petalis integris, brevibus. *Linn. sp. pl. 2. p. 398.*

H. copiosissime in rupibus Medlingensibus, Glocnitzensibus, aliisque. F. Aprili & Majo.

SCILLA (*bifolia*) radice solida; floribus erectiusculis, paucioribus. *Linn. sp. pl. 6. p. 443.*

H. in sterilibus umbrosis montis Cæsii. F. primo vere.

RUMEX (*alpinus*) floribus hermaphroditis sterilibus fæmineisque; valvulis integerrimis, nudis; foliis cordatis, obtusis, rugosis. *Linn. sp. pl. 22. p. 480.*

H. in alpium fossis.

EUPHORBIA (*epithymioides*) umbella quinquefida: bifida, involucellis ovatis; foliis lanceolatis, obtusis, subtus villosis. *Linn. sp. pl. 39. p. 656.*

H. in montosis apricis asperis.

ROSA (*alpina*) germinibus ovatis; pedunculis subhispidis; caule inermi. *Linn. sp. pl. 1. p. 703.*

H. in pratensibus subalpinis.

TEUCRIUM (*supinum*) corymbo terminali; foliis linearibus, margine revolutis. *Linn. sp. pl. 25. p. 791.*

H. in collibus siccis.

PEDICULARIS (*recutita*) caule simplici; staminibus floris galea longioribus. *Linn. sp. pl. 7. p. 846.*

H. in alpibus Breininis.

MYAGRUM (*austriacum*) siliculis subrotundis, glabris; foliis radicalibus subsinuatis, caulinis serratis; radice perenni.

H. in arvis, cultis, oleraceis, secus vias. F. æstate.

HESPERIS (*inodora*) caule simplici, erecto; foliis subhastatis, dentatis; petalis obtusis. *Linn. sp. pl. 4. p. 927.*

H. in sylvis montosis, ubi sæpe ramosissima; & alibi.

ARA-

ARABIS (*bellidifolia*) foliis subdentatis; radicalibus ex lanceolato cuneiformibus; caulinis lanceolatis; caulibus simplicibus.

H. in montosis & alpestribus. F. æstate.

TRIFOLIUM (*alpestre*) spicis subglobosis, villosis, terminalibus, sessilibus; caule erecto; foliis lanceolatis, serrulatis. *Linn. sp. pl.* 21. *p.* 1082.

H. passim in gramineis ficcioribus sylvaticis circa Viennam. F. Junio & Julio.

HIERACIUM (*cymosum*) foliis lanceolatis, integris, pilosis; scapo subnudo, basi piloso; floribus subumbellatis. *Linn. sp. pl.* 7. *p.* 1126.

H. in arvis & collibus aridis.

ACHILLÆA (*Millefolium*) foliis bipinnatis, nudis: laciniis linearibus, dentatis; calibus sulcatis. *Linn. sp. pl.* 18. *p.* 1267.

H. passim ad vias. F. æstate.

CAREX (*brizoides*) spica composita, disticha, nuda; spiculis androgynis oblongis contiguis; culmo nudo. *Linn. sp. pl.* 9. *p.* 1381.

H. passim in pratis. F. vere.

CAREX (*digitata*) spicis linearibus, erectis; mascula breviore inferioreque; bracteis aphyllis; capsulis distantibus. *Linn. sp. pl.* 20. *p.* 1384.

H. in monte Cæsio. F. primo vere.

CAREX (*globularis*) spica mascula oblonga; fæminea sessili, ovata, foliolo florali breviori approximata. *Linn. sp. pl.* 22. *p.* 1385.

H. in pratis. F. primo vere.

CAREX (*filiformis*) spica mascula oblonga; fæmineis pedunculatis, oblongis; inferiore foliolo proprio breviore. *Linn. sp. pl.* 23. *p.* 1385.

H. in sylvaticis montosis. Est certe Scheuchzeri gramen; nam & hic delineat spicas fæmineas peduncunlo filiformi affixas, nec sessiles, ut dicit Linnæus.

CAREX (*pallescens*) spicis pendulis; mascula erecta; fæmineis ovatis, imbricatis; capsulis confertis, obtusis. *Linn. sp. pl.* 29. *p.* 1386.

H. in sylvaticis udis.

SALIX

SALIX (*pentandra*) foliis ferratis, glabris; flofculis pentandris. *Linn. fp. pl.* 3. *p.* 1442.

H. ad aquas.

SALIX (*purpurea*) foliis ferratis, glabris, lanceolatis; inferioribus oppofitis. *Linn. fp. pl. 10. p. 1444.*

H. in inundatis.

SALIX (*cinerea*) foliis fubferratis, oblongo-ovatis, fubtus fubvillofis; ftipulis dimidiato-cordatis. *Linn. fp. pl. 30. p. 1449.*

H. in fubalpinisudis.

HIPPOPHAË (*Rhamnoides*) foliis lanceolatis. *Linn. fp. pl.* 1. *p.* 1452.

H. in monte Leyta.

HYDROCHARIS (*Morfus ranæ*) *Linn fp. pl.* 1. *p.* 1466.

H. in inundatis ftagnantibus Danubii inter Viennam & Clauftrum Neoburgi. F. Junio.

OSMUNDA (*Spicant*) frondibus lanceolatis, pinnatifidis; laciniis confluentibus, integerrimis, parallelis. *Linn. fp. pl.* 16. *p.* 1522.

H. in paludofis Annaberg.

ACROSTICHUM (*feptentrionale*) frondibus nudis, linearibus, laciniatis. *Linn. fp. pl. 6. p.* 1524.

H. in rupibus Glocnitzenfibus.

POLYPODIUM (*auftriacum*) frondibus fupradecompofitis, pilofis; foliolis oppofitis alternisque; pinnis pinnatifidis, lanceolatis; inferioribus oppofitis, & diftantibus; fuperioribus in quolibet foliolo alternis & confluentibus; ftipite bafi lanuginofo.

H. in fylvis fubalpinis Etfcheri. F. Octobri. Frons fere bipedalis ex foliis oppofitis utrinque octo & tribus terminalibus, infimis octo pollices longis, cæteris magnitudine decrefcentibus. Hæc ipfa funt bipinnata ex foliolis alternis plerisque, inferioribus fæpe oppofitis, longioribus tripollicaribus, etiam decrefcentibus. In his pinnæ locantur ad trium vel & quatuor linearum intervalla remotæ, obtufæ, majores decemlineares, pinnatifidæ angulis & finubus obtufis, inferioribus oppofitis, fuperioribus confluentibus & alternis. Petioli omnes funt pilofi, pinnæ & ftipes inferior minus; fed hic ad bafin lanugine fericea obducitur.

MNIUM (*cirratum*) foliis arefactione revolutis. *Linn. ſp. pl. 8. p. 1576.*

H. in ſylvis montoſis.

BRYUM (*apocarpum*) antheris ſeſſilibus, terminalibus; calyptra minima. *Linn. ſp. pl. 1. p. 1579.*

H. paſſim in arboribus.

BRYUM (*heteromallum*) antheris erectis; foliis ſetaceis, ſecundis. *Linn. ſp. pl.* 16. *p.* 1583.

H. in ſylvaticis montoſis.

BRYUM (*viridulum*) antheris erectis, ovatis; foliis lanceolatis, acuminatis, imbricato-patulis. *Linn. ſp. pl.* 19. *p.* 1584.

H. in montoſis.

HYPNUM (*abietinum*) ſurculis pinnatis, teretiuſculis, remotis, inæqualibus. *Linn. ſp. pl.* 20. *p.* 1591.

H. in ſylvis montoſis abietinis Annaberg.

HYPNUM (*viticuloſum*) ſurculis repentibus; ramis vagis, teretibus; foliis patulis, cuminatis. *Linn. ſp. pl. 25. p. 1592.*

H. ad radices arborum in Annaberg.

HYPNUM (*ſericeum*) ſurculo repente; ramis confertis, erectis; foliis ſubulatis; antheris erectis. *Linn. ſp. pl. 36. p. 1595.*

H. ad arborum truncos.

HYPNUM (*ſerpens*) ſurculis repentibus; ramis filiformibus; foliis obliteratis. *Linn. ſp. pl. 38. p. 1596.*

H. ad truncos arborum.

JUNGERMANNIA (*undulata*) frondibus ſupra bipinnatis, apice floriferis; foliolis ſubrotundis, integerrimis. *Linn. ſp. pl. 8. p. 1598.*

H. in arborum truncis.

LICHEN (*candelarius*) cruſtacens, flavus; ſcutellis luteis. *Linn. ſp. pl. 13. p. 1608.*

H. paſſim in rupibus.

LICHEN (*ſaccatus*) foliaceus, repens, ſubrotundus; peltis depreſſis ſubtus ſaccatis. *Linn. ſp. pl. 49. p. 1616.*

H. in alpibus Breininis, in Annaberg, & alibi, in humo ad ſaxa.

LICHEN (*gracilis*) ſcyphifer, ramoſus, denticulatus, filiformis. *Linn. ſp. pl. 62. p. 1619.*

H. in alpibus Breyninis loco humido.

PE-

PEZIZA (*cupularis*) globoso-campanulata; margine crenato. *Linn. sp. pl. 6. p. 1651.*

H. in arboribus & ramis putridis.

PEZIZA (*scutellata*) plana; margine convexo, piloso. *Linn. sp. pl. 7. p. 1651.*

H. copiose ad margines udos viæ, qua itur a pago Annaberg ad fodinas argentiferas Inveni mense Septembri.

LYCOPERDON (*pedunculatum*) stipite longo; capitulo globoso, glabro; ore cylindrico, integerrimo. *Linn. sp. pl. 8. p. 1654.*

H. in campestribus, gramineis.

PLANTÆ
IN EODEM OPUSCULO CORRIGENDÆ.

GENTIANA *purpurea?* est forte *punctata* Linnæi.

Loco BUPLEURI *rigidi* expungendi ponatur cum determinatione sua *falcatum*.

ANTHERICUM *Pseudoasphodelus* non aliud est quam *calyculatum* Linnæi omniumque auctorum: maneant tamen determinatio mea atque descriptio. Sed videant Botanici, utrum in hac planta calycem ullum, ne dicam trilobum, etiam microscopiis armati detegere valeant, præter corollam scilicet hexapetalam, quæ calyx dici nec potest, nec a quoquam dictus fuit. Mihi ex plerisque Europæ regionibus Anthericum hoc, calyculati sub titulo, comparavi, & millena individua Austriaca examinavi; nullibi autem calycis vestigium inveni. Miror sane auctorum ferme omnium negligentiam, qui, Linnæanam determinationem secuti, non videntur in hac planta calycem in genere liliaceo observatione dignissimum quæsivisse; vel sane doleo infelicitatem meam, qui conquirere mihi ab ipsis calyculatum specimen non potuerim. Nec etiam Segueri vel Oederi figuræ optimæ calycem exhibent.

JUNCUS *compressus* mera est *bulbosi* Linnæani varietas.

JUNCUS *monanthos* est *trifidus* Linnæi; qui tamen apud nos & in conterminis provinciis folia terminalia tria nunquam habet; florem ve-

ro in Auſtriæ millenis examinatis ſpeciminibus ſive cultis ſive ſylveſtribus fere ſemper unicum, rariſſime duos, nunquam a me obſervatos tres. Ex carniolia tamen cultum triflorum mecum communicavit clariſſimus Scopoli.

Pro ARENARIA *multicauli* cum determinatione ſua Arenaria *ciliata* ponatur. Videbatur Linnæus in Syſtemate naturæ ex utraque unicam feciſſe ſub multicaulis titulo; quare hanc aſſumpſeram, de ciliis tamen ſub notæ forma ſubjuncta admonitione.

LYTHRUM *auſtriacum* eſt ipſum Linnæi *virgatum*; quod propterea ab hoc Sibirico diſtinctum credebam, quia folia alterna adſcribebantur eidem a Linnæo. Hujus erroris cauſa clariſſimo viro fuerunt forte bracteæ florum; quæ in ſpicis poſt floreſcentiam in virgas longiſſimas elongatis folia minora alterna mentiuntur; ubi vera tamen folia omnino omnia opponuntur.

DRABA *ſtellata* eſt hirta Linnæi: in plantis auſtriacis autem ſiliculas plerumpue vidi rectas, rariſſime obliquas.

HESPERIS *ſibirica* expungatur.

In CORONILLÆ *montanæ* determinatione mea legumina dicuntur erecta, quæ dici oportet pendula. Eſt certe hæc Coronilla Colutea ſcorpioides ſecunda Cluſii, adeoque etiam Colutea ſcorpioides minor coronata Bauhini. Quadrat etiam in hanc optime Linnæi Coronillæ coronatæ determinatio, ſola fruticoſa vegetatio ſi dematur: noſtræ enim plantæ caules mere herbacei ſunt, & pereunt quotannis. Iconem bonam hujus Coronillæ dabit clariſſimus Scopoli in nova editione Floræ ſuæ Carniolicæ, quæ brevi pluribus ornata tabulis & ad Sexuale Syſtema concinnata in folio Vindobonenſi ſub prælo ſudabit.

VIENNÆ
Typis Joſephi Kurzböck, Univerſitatis Typographi 1764.

T. 1.



Gratiola Monnieria.

Jaquin del. Wangner sc.

T. 2.



Rivina dodecandra.

T. 3.



Aristolochia trilobata.

T. 4.



Aristolochia peltata.



T. 5.



Anona
muricata.





Anona squamosa.

T. 7.



Sida Abutiloides.

T. 8.



Coccoloba barbadensis.

T. 9.



Coccoloba emarginata.





Paullinia tomentosa



T. 11.



Viola alpina.





Arabis bellidifolia.





T. 13.



Ranunculus Thora.

T. 14.



Primula minima.

T. 15.



Primula integrifolia.





T. 17.



Carduus Erisithales.



T. 18.



T. 19.



Androsace elongata.



T. 20.



Scopola carniolica.

T. 21.



Campanula thyrsoides.

T. 22.



Dolichos minimus.

T. 23.



Portulaca triangularis.

T. 24



Verbena lappacea.



T. 25.



Dianthus superbus.